


EPISTULA LEONINA

CCLXXIII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM TERTIAM (273)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	03-04
LEPUSCULUS PLEBS INVALIDA.....	05
DE OVIS PASCHALIBUS.....	06-13
ARBOR OVORUM PASCHALIUM THURINGIENSIS.....	14-16
DE LEPORE PASCHALI.....	17-39
QUOMODO E CHOEROGRYLLO FACTUS SIT LEPUS PASCHALIS.....	18-20
ERROR GRAVISSIMUS: OVA NUMQUAM AFFERENDA FUISSE LEPORI.....	21-23
QUATENUS LEPUS SPECTAT AD FESTUM PASCHALE? (<i>Lapide/ LL</i>)	24-25
IOHANNES RICHIER DE OVIS PASCHALIBUS (a.1682).....	26-32
NUM EX AGNO DEI FACTUS EST LEPUS PASCHALIS? (<i>Becker-Huberti/ LL</i>)	33-38
ECCE INSIGNE EPISCOPI LEPORARIUM.....	39
LAGOLOGIA SIVE HISTORIA LEPORIS.....	40-66
DE LEPORE EUROPAEO.....	41-50
LEPUS ARTE FIGURATIVA QUALIS EXHIBEATUR.....	51-60
LAGOGRAPHIA PARADOXA.....	61
DE VENATORE SAEVO FABULA (<i>Hoffmann/Bornemann</i>)	62-66
CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....	67-89
LIBRI LEONIS LATINI.....	90-93
VOTA PASCHALIA.....	94

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

quomodo te habes? Rectêne vales? Utinam sint tibi dies Paschales et pacifici et recreabiles; utinam his diebus etiam fruaris quibusdam occasiunculis hanc Epistulam Leoninam Paschalem perlustrandi. Nam insunt neque bellica neque pseudopandemica neque climatomanica, sed verê atque merê Paschalia: agitur de moribus Paschalibus, de ôvis Paschalibus, praesertim de lepore Paschali. Carpe diem, et vindica te tibi! Tempora difficilia, qualibus vivimus faciunt nos philosophos, tamen interdum, ut ait Horatius, dulce est desipere in loco. Festum Paschatis, quo celebratur resurrectio Christi, est hilare et laetabile; hac de causâ quibusdam in regionibus christianis in usu erat “risus paschalis”. Itaque a sollemnitate paschali haud alienum est legere “De Venatore Saero Fabulam” ab Henrico Hoffmann iocosè scriptam et pictam necnon ab Eduardo Bornemann Latinâ ueste indutam (p.62-66).

Nunc, carissima Lectrix, carissime Lector, helluare symbolis huius Epistulae Leoninae, quae sunt minus graves, magis delectabiles quam symbolae aliarum Leoninarum.

Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »sublimi feriam sidera vertice». -

Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticê valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae
Die Paschatis, 09. m.Apr. a.MMXXIII



Fenestra trium leporum, quae inest ecclesiae cathedrali Paderbornensi.

LEPUSCULUS PLEBS INVALIDA QUAE CONLOCAT IN PETRA CUBILE SUUM

VULGATA, Liber Proverbiorum 30,26: Lepusculus plebs invalida quae conlocat in petra cubile suum.

DE OVIS PASCHALIBUS¹

In Germaniâ, Austriâ, Helvetiâ necnon in Bataviâ parvuli quaeritant ova gallinacea pigmentis depicta et dulciola, quae narrantur abdita esse a *lepoore paschali*. Mos traditus quoque est ramos vasibus impositos aut arboribus hortensibus impositos ornare paschalibus ovis multicoloribus. Furno coquitur placenta paschalis in formam leporis aut agni redacta. Ovis paschalibus secundum mores traditos quibusdam in regionibus Germaniae luditur; tales lusûs, qui fiunt ovis iaciendis aut devolvendis, appellantur *Ostereiertitschen*, *Ostereierschieben*, *Ostereierwerfen*, *Eierschibbeln*.



Ecce Bohemica ova paschalia

Ovum paschale est ovum coloratum, saepe imagunculis depictum aut exornatum; quod solet esse ovum gallinaceum et induratur aquae bullienti impositum. More tradito tale ovum aut donatur aut comeditur.

Praeterea ova paschalia etiam appellantur res ovatae non edibles, quae tempore paschali adhibentur decorandi aut donandi causâ. Tales res esse solent ova albumine vitelloque efflandis evacuata, plerumque gallinacea, aut ova ex aliis materiis, velut ex chartâ scabrâ, gypso, ligno, lapide naturali, materiâ artificiali confecta. Pro fine utendi et genere materiae talia ova paschalia magnam partem etiam colorantur, variis pigmentis depinguntur aut

¹ cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Osterei>

affricantur necnon decoramentis instruuntur multorum generum. Socolatea quoque ova, quae involucris multicoloribus involuta in tabernis veneunt permulta, referuntur in numerum ovorum paschalium.

Historia ovorum paschalium

Eo quod in Africâ meridionali inventa sunt ova struthionum ante sexaginta milia annorum decorata, appare morem testas ovorum decorandi cultum esse diu iam ante fidem christianam exortam². Etiam in Sumerorum atque Aegyptiorum sepulchris inventa sunt ova struthionum, quae erant aetate quinque milium annorum³. Christiani Mesopotamiae antiqui ova depingebant pigmento rubro, ut monerent de sanguine Christi⁴.

Decoratio ovorum christiana

In theologiâ christianâ ovum habetur pro symbolo resurrectionis⁵. Etiam in Mariae imaginibus invenitur in recessu aut in margine ovum, quo alludatur ad partum virginalem⁶. Saeculo duodecimo ab ecclesiâ catholicâ introducta est *benedictio ovorum*. Saeculo autem decimo septimo ineunte ova benedicuntur his ferê verbis dictis: *Benedicas, Domine, te precamur, haec ova, quae tu creavisti, ut fiant nutrimenta salutaria ministrorum tui fidelium, qui ea comedunt animis gratis Dominique resurrectionis memoribus.*⁷

Paschalis ovorum coloratio est christianus mos traditus latê patens, quem noverunt incolae Armeniae et Russiae regionis mediterraneae Europaeque mediae. In Germaniâ ova depicta primum commemorantur saeculo decimo tertio ineunte. Nomen ovi paschalis primum appetit saeculo decimo quarto sub nomine ovi tributarii Festo Paschali pendendi⁸. A.1553 referuntur inter cibos Festo Paschali benedicendos fuisse ova rubra. A.1617 Puteanus in opere suo, quod inscribitur *Ovi encomium*, loquitur de ovis paschalibus inscriptis, depictis, erosionis⁹, item *Iohannes Richier* a.1682 in dissertatione suâ, c.t. *De ovis paschalibus*, commemorat ab adultis abdi ova paschalia, ut quaerantur a parvulis necnon meminit mythi leporis paschalis (v. infra, diss.,

2 cfr <http://www.cam.ac.uk/research/news/egg-cetera-6-hunting-for-the-worlds-oldest-decorated-eggs>

3 cfr Richard L. Zettler, Lee Horne, Donald P. Hansen, Holly Pittman: *Treasures from Royal Tombs of Ur*, a.1998, p. 70-72

4 T.B. Noonan: *Donahoe's Magazine, Volume 5*. cfr Vicki K. Black: [Welcome to the Church Year: An Introduction to the Seasons of the Episcopal Church](#). Church Publishing, Inc., 1 Jul 2004.

5 cfr Augustinus, Sermo 105. cfr *Lexikon der christlichen Ikonographie* (LCI). tom 1. Herder, Freiburg a.1968, s.v. Ei..

6 Hugo von Sankt Viktor, in: *De Bestiis*. in: *Lexikon der christlichen Ikonographie* (LCI). Bd 1. Herder, Freiburg a.1968, s.v. Ei.

7 orig. „*Segne, Herr, wir bitten dich, diese Eier, die du geschaffen hast, auf dass sie eine bekömmliche Nahrung für deine gläubigen Diener werden, die sie in Dankbarkeit und in Erinnerung an die Auferstehung des Herrn zu sich nehmen.*“ v. *Rund um Ostern*, theology.de

8 v. *Deutsches Rechtswörterbuch: Osterei*, Uni Heidelberg. cfr *Damen Conversations Lexikon*. Leipzig 1837, Berlin 2005 (Repr.). ISBN 3-89853-518-5

9 erosus, -a, -um: orig. geätzt.

§.9). Alius locus, quo memoratur consuetudo ova parvolorum causâ abdendi, sub anno 1691 invenitur in diario *Abbatis Iacobi monasterii Schuttern* (in circulo *Ortenau* siti)¹⁰.



Rubra ova paschalia in Macedonia confecta

Aliarum religionum ova colorata

Etiam in Iraniâ, praesertim apud Zoroastrios et lesidas, inveniuntur ova colorata, eaque inter Festum *Nouruz*¹¹.

Festum Paschatis christianum exortum est e festo Iudeico *Pessach*. Ad cenam *Seder* iudeicam etiam spectant ova, sed demonstrari non potuit rationem intercedere inter haec ova et christianorum ova paschalia.

10 cfr *Osterei*. in: *Handwörterbuch des deutschen Aberglaubens*. tom 6. Berlin a.1935, p. 1327f., 1987 (Repr.). ISBN 3-11-011194-2.

11 cfr *Die Yeziden. Eine Arbeitshilfe*. EKD, Hannover 1992.



Benedictio ovorum. A.2015. in paroecia Mehrenschwand Helvetica.



Fascis paschalis

Sinica quoque ova rubra vim habent novae rei incohandae. Talia ova a Sinensibus solent convivis apponi in primum diem infantuli natalem celebrandum¹².

12 v. Rhonda Lauret Parkinson: *The everything Chinese cookbook: from wonton soup to sweet and sour chicken - - 300 succulent recipes from the Far East.* Everything Books, 1. September 2003, ISBN 978-1-58062-954-6.

Sunt multae methodi variae, quibus decorentur ova efflando evacuata vel coquendo indurata, e.g. coloratio aut rationes more Indonesico tingendi¹³, scalpendi, erodendi intricatae. Saepe ova paschalia suspenduntur e fasce ramorum betulinorum – qui appellatur *fascis paschalis* – aut artificiosē imponuntur (interdum aliis donis additis) *corbulae paschali*. Latē quoque patet mos, quo rami arborum in horto crescentium tempore paschali talibus ovis ornantur. Ita *Saalfeld* in oppido Thuringiae usque ad annum proximum praeteritum licuit admirari talem arborem ovorum paschalium, e qua pendebant plus decem milia ovorum – tamen cives Saalfeldiani in hac re devicti sunt ab hortulanis therotrophii¹⁴ Rostochiensis, qui m.Aprili a.2007 arbore 76.596 (septuaginta sex milibus quingentis nonaginta sex) ovorum ornatā id assecuti sunt, ut nomen suum inscriberetur *Libro Guinnessiano*.

Mores Soraborum traditi

Praecipuē in Lusatiâ sorabicâ¹⁵ et in partibus Europae, ubi valent mores Slavici, ova paschalia insignia sunt decoramentis perquam artificiosis et sumptuosis. Sorabi tinturâ Indonesicâ usi solent ôvis illinere tria lineamenta more tradita. *Radii solares*, qui oriuntur, si acu vitrâ fervidâ cera apium illinitur per guttas tractas aut lineas, sunt symbola felicitatis animique contenti. *Denticulis lupinis* caule pennae resecto formâ triangulorum in varios ordines redactis et illitis dicuntur repelli mala, velut morbi. Favi autem, qui oriuntur lineamentis triangulorum, quorum lineae superiores esse possunt denticuli lupini, sunt symbola divitiarum et bonae messis bonarumque redditum. Sorabi talia ova artificiosē decorata non sôlum inter se donant diebus paschalibus, sed etiam in baptismata, communiones, nuptias aliasque occasiones, ut per symbola offerant vota hominibus donandis.

Colores, quibus Sorabi nonnullarum regionum utuntur, valent haec quae sequuntur:

- Color ruber monet de Christi morte
- Color flavus monet de illuminatione atque sapientiâ exoptatis
- Color candidus monet de puritate
- Color viridis monet de adulescentiâ atque innocentia
- Color arancius monet de robore et perseverantiâ et ambitione

Paschales lusûs ad ova spectantes

Parvulis ova paschalia narrabantur unâ in regione Germaniae ab hac, aliâ in regione ab illâ bestiâ exclusa esse et allata; origo illorum repetebatur aut a

13 more Indonesico tingere, i.e. metodo colorandi uti, quae appellatur *Batik*.

14 therotrophium, -ii n. i.q. hortus zoologicus.

15 i.e. *sorbische Lausitz*.

gallo (in Bohemiâ) aut a cuculo (in Helvetiae partibus quibusdam) aut a vulpe (partim in Vestfaliâ) aut a ciconiâ (in Thuringiâ) aut a - lepore¹⁶. Ipsis campanis volaticis nocte paschali Româ ex urbe redeuntibus ova ascribabantur. Tempore recentiore lepus paschalis factus est ovorum apportator supra-regionalis. Hodie parvuli die Lunae paschali solent ova paschalia abdita quaeritare.

Alii ritûs ovorum paschalium sunt iactatio monetarum (si moneta remanet ovo infixa, ovum addicitur iactatori), *Ostereiertitschen*, *Ostereierschieben*, sive (e.g. in Austria, Croatia, Russia) *Eierpecken*. In ovorum iaculatione (*Eierschleudern*¹⁷, in Bavariâ *Eierwerfen*, in Frisiâ Orientali *Eierschießen*), in Varisciâ seu Terrâ Advocatorum¹⁸ ovum paschale imponitur sacculo lanâ fibulato¹⁹ longâ taeniâ instructo): Lusor hanc taeniam iaculatus e manu emittit. Iaculatio autem fit aut in prato aut in pascuo. Aptissima sunt prata, quorum grama sunt densa. Ad iaculandum spectant aut regulae complures aut nullae²⁰. Oportet ova iaculanda sint sat dura, ne ovum nimis facile diffingatur. Saepe duo vel plures homines ova inter se adiciunt, usque dum testa ôvi omnino diffingatur.

Lusores conantur ovum irretitum quam altissimê iaculari. Si ovum diffingitur, iaculator e lusu dimittitur. Hoc tam diu fit, usque dum unus tantum lusor relinquatur ovum habens integrum, qui celebratur victor aut rex²¹. Quibusdam in regionibus mos est ova paschalia iactari in longinquum. In fine autem ova ipso in loco certaminis comeduntur. In Tiroliâ australi ut domus fortunetur, consuetudo est ovum trans eam iactum in humum infodere²². Perquam magnifica sunt *Caroli Petri Fabergé* ova pretiosissima. *Libotenice* in oppido Bohemico, ubi mos est traditus ova paschalia manu depingere, sita est porticus ovorum paschalium²³.

In vico Suebico, cui nomen est *Sonnenbühl*, in tribu *Erpfingen*, ex a.1993 extat primum Germaniae *museum ovorum paschalium*²⁴ in quo plus mille ova paschalia exponuntur. Germaniae ovum paschale omnium maximum invenitur in vico *Betzdorf*. Quod altitudine est 9,27 (novem – virgula – duo – septem) metrorum et diametro 5,71 (quinque – virgula septem – unum) metrorum.

16 cfr infra p.26: Iohannes Richier. Quare lepus ad festum Paschatis relatus sit, explicat Pinchas Lapide (v. infra p.24sq.)

17 v. [Eierschleudern im Vogtland](#).

18 i.e. Vogtland (regio Saxoniae).

19 *uncīnulātus orig. *gehäkelt*. cfr *uncīnulō, -āre *häkeln*. cfr (alio sensu) **uncīnō**, -āre i.q. *hāmāre*, i.q. *unco vel hamo pisces capere*. cfr *uncīnulatus, -a, -um i.q. *uncinulo instructus*. e.g. *nomina botanica*: *Cyperus uncinulatus*, *Rubus uncinulatus*.

20 v. [Eierwerfen-Regeln](#) in: [brauchtumsseiten.de](#).

21 v. Tamara Retterath: [Ostern in meiner Kindheit](#), in: [jahrbuch-vulkaneifel.de](#).

22 v. [Antlass-Eierwerfen über das Haus](#), kleinezitung.at

23 v. [Ostereier – Brauchtum und Moderne](#). In: es-ist-ostern.de.

24 cfr situs musei interretialis: [Website vom Ostereimuseum Sonnenbühl](#)

In arte computatrali ova paschalia (*easter eggs*) sunt functiones additiae programmati sine documento inditae (sive simulacra), quae nullo modo spectant ad programma proprium, aut sunt cinematum digitalis disci versatilis (DVD) lusuumque computatralium sive scopocinematicorum additamenta delectabilia, quae programmator aut fabricatores abdiderunt post combinationem aliquam programmatis plectrorumve²⁵.

In bello mundano primo, ut evitaretur „ovorum profusio“, in Austria inferiore et Stiria ex a.1915²⁶, in Tiroliâ et Vorarlbergiâ ex a.1916²⁷, in Moraviâ annis 1915–1917²⁸ prohibitum erat, ne fabricarentur neve venderentur ova paschalia depicta. In Moraviâ explicitê etiam prohibitum erat, ne talia ova »adhiberentur ad Iusûs solitos.« Poena pro arbitrio magistratûs politici fuit aut multa minimum duorum, maximum ducentorum nummorum coronatorum, aut custodia minimum sex horarum, maximum quattuordecim dierum.


25 orig. „...Zsätze zu DVD-Filmen und Computer-/Videospielen, die der Programmierer bzw. die Produzenten hinter einer Menü- oder Tastenkombination versteckt haben.“

26 cfr 24. Verordnung des k. k. Statthalters im Erzherzogtume Österreich unter der Enns vom 20. März 1916, Z. W-1530/2, mit welcher das Färben von Hühnereiern und das Inverkehrbringen von gefärbten Hühnereiern (Ostereiern) verboten wird. In: Landes-Gesetz- und Verordnungsblatt für das Erzherzogtum Österreich unter der Enns. Nr.18, 21.März 1916, S.63 (LGuVBl. 24/1916 „bis auf weiteres“, [alex.onb.ac.at](#)). – cfr 28. Verordnung der k. k. steiermärkischen Statthalterei vom 23. März 1915, über das Verbot der Herstellung und des Verkaufes von Ostereiern. In: Landesgesetz- und Verordnungsblatt für das Herzogtum Steiermark. Nr.21, 24.März 1915, S.63 (LGuVBl. 28/1915; explizit „auch die Herstellung von Ostereiern in den privaten Haushaltungen“, [alex.onb.ac.at](#)

27 18. Verordnung des k. k. Statthalters in Tirol und Vorarlberg vom 27. März 1916, Zl. II-152/1, betreffend das Verbot des Herstellens und Feilbietens gefärbter Hühnereier (Ostereier). In: Gesetz-. u. Verordnungsblatt für die gefürstete Graffschaft Tirol und das Land Vorarlberg. Nr.13, 31.März 1916, S.58 (GuVBl. 18/1916; „Für das Jahr 1916“, [alex.onb.ac.at](#)

28 cfr 22. Kundmachung des k. k. Statthalters in Mähren vom 28. März 1915, betreffend das Verbot des Färbens der Hühnereier und des Inverkehrsetzens gefärbter Hühnereier. In: Landesgesetz- u. Verordnungsblatt für die Markgrafschaft Mähren. Nr.14, 29.März 1916, S.104 (LGuVBl. 22/1915; „für das Jahr 1915 ... und zu üblichen Spielen zu verwenden“, [alex.onb.ac.at](#). – cfr 32. Kundmachung des k. k. Statthalters in Mähren vom 15. März 1916, betreffend das Verbot des Färbens der Hühnereier und des Inverkehrsetzens gefärbter Hühnereier. In: Landesgesetz- u.

Verordnungsblatt für die Markgrafschaft Mähren. Nr.15, 18.März 1916, S.80 (LGuVBl. 32/1916; „für das Jahr 1916 ... und zu üblichen Spielen zu verwenden“, [alex.onb.ac.at](#). – cfr 32. Kundmachung des k. k. Statthalters in Mähren vom 18. März 1917, betreffend das Verbot des Färbens der Hühnereier und des Inverkehrsetzens gefärbter Hühnereier. In: Landesgesetz- u. Verordnungsblatt für die Markgrafschaft Mähren. Nr.12, 29.März 1917, S.53 (LGuVBl. 32/1917; „für das Jahr 1917 ... und zu üblichen Spielen zu verwenden“, [alex.onb.ac.at](#)



CAROLUS PETRUS FABERGÉ
(1846-1920)
Russus aurifex et gemmarius



*Ecce OVUM HOROLOGIARIUM sive OVUM LILIARUM
ovum paschale Fabergeanum pretiosissimum!
d.23. m.Mart. a.2015*

ARBOREM OVORUM PASCHALIUM THURINGIENSEM

ANNO MMXV ULTIMUM ESSE EXORNATAM¹

Thuringiae arbor ovorum paschalium omnium speciosissima *Saalfeld* in oppido nata fine septimanae a primis philotheoris huius anni spectata est. At haec arbor decem milibus ovorum ornatissima anno 2015 ultimo spectatur.



Ultimâ vice hôc anno, deinde non iam ornabitur: *Saalfeldensis* arbor ovorum paschalium hôc anno ultimum decoratur a Christâ eiusque marito Volcero Kraft coniugibus redituatis, qui adhuc sunt valetudine prosperâ.

Haec arbor decôra magnâ cum indulgentiâ colitur a multis philotheoris² vel transmarinis. Ex septimanis *Christa* et *Volcerus Kraft* par redituariorum³ studiosê laborant, ut hanc arborem decorent ôvis paschalibus, quae sunt amabiliter depicta, circumuncinulata⁴, operibus tessellatis fragmentisve succini agglutinata. Hoc usque nunc factum erat omni anno.

E mālo oneratâ pendent 10.000 (decem milia) ovorum, quorum omne est singulariter ornatum. At hôc anno Kraftii ultimum philotheoris aperiunt portam horti sui. Senex duodectogenarius: »Hoc facimus« inquit »animo partim

1 cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Saalfelder_Ostereierbaum.

<http://www.welt.de/regionales/thueringen/article138678819/Ostereierbaum-mit-ueber-10-000-Eiern.html>

Titulus originalis: „Es hat sich ausgeeiert an Thüringens Ostereierbaum“. cfr <http://www.eierbaum-saalfeld.de/>

2 **philotheōrus**, -ī m. i.q. *Tourist*.

3 **+redituārius**, -īī m. i.q. *Rentner*.

4 ***circumuncīnulātus** i.q. *umhäkelt*.

doloroso, tamen partim quoque laeto, quia magni finiti sunt labores». Nam desinit arborem ôvis ornare senectutis causâ. Fine septimanae adversus tempestatem parum iucundam advenerunt numerosi homines spectandi cupidi, ut aspectarent »Thuringiae arborem ovorum paschalium omnium speciosissimam« (sic dicit societas philotheoriae Thuringiensis (*Thüringer Tourismus GmbH*)).

Volcerus Kraft autem recordatur animum sui iam pueri inflammatum esse quadam arbore tempore paschali pulcherimè ornatâ, quam spectaret in scholam iter faciens. Itaque idem vir, qui professionem didicit claustrarii machinalis⁵, ipse pater factus curavit, ut liberi sui acciperent talem arborem – qualem exornare coepit duodeviginti ôvis usus.

Numerum huius arboris ovorum esse enormen, sed non totius mundi maximum

At eo quod mâlus arbuscula fiebat arbor, quotannis augebatur numerus ovorum adhibendus. Quae efflando evacuata exornabantur, nam ova plastica a *Kraftiis* non iam comprobantur. Mediis annis nonagenariis ova iam fuerunt plus milia, ante triennium Volcerus atque Christa adepti sunt numerum decem milium.

E mâlo Kraftianâ non quidem suspensus est numerus ovorum totius mundi maximus, quem habere in *libro Guinnessiano* legitur quaedam arbor in therotrophio Rostochensi nata, quae a.2007 76.600 (i.e. septuaginta sex milibus sescentis) ovorum paschalium est exornata. At Saalfeldensis arbor photographata Bangcociâ in urbe, in Kuvaetiâ necnon in Civitatibus Unitis, toto ferê in orbe terrarum spectata facta est omnium dilectissima⁶.

Transmarini quoque philotheori iterum iterumque iter deflectebant *Saalfeldiam* vecturi, ut oculos pascerent aspectu delectamenti huius paschalis. Volcerus subridens: »Aliquando adfuerunt« inquit »lapones, qui cupiverunt hanc arborem effodere et secum auferre«. Necnon quendam Americanum philotheorum sibi attulisse ovum ligneum, cui inessent signa *Vilemuli* et *Hilaris Clinton*.

Praeparationem factam esse per duos menses

At interim Volcero Christaeque labores atque massas hominum factas esse nimis molestas. Annis praeteritis in hortum influxisse dena millena philotheorum. Redituatus duodeoctogenarius: »Scala autem« inquit »omni anno novo mihi videtur esse ponderosior«.

5 orig. *Maschinenschlosser*.

6 orig. *Baum der Herzen*.

Per spatum duorum ferē mensium fieri praeparationem, ovorum suspensionem ablationemque necnon duas septimanas horti aperti. Accedere, quod quotannis ducenta vel maximum quingenta ova nova decoranda et supponenda sint in locum diffractorum. Volcerus affirmat ipsos liberos suos id non assequi, ut praeter professionem suam tantum laboris exanclent. Vere autem anni 2016 se factum iri octogenarium, quo tempore se velle celebrare diem suum natalem quam quietissimē.

Idem autem vir redituatus affirmat se iam rogatum esse ab hominibus ex aliis regionibus Germaniae oriundis, quomodo continuare possint morem arboris ovorum paschalium traditum. At de hac re post festum paschatis demum se velle deliberare. Barbara (*Bärbel*) autem *Grönegres*, praeposita *Thuringiensis societatis philotheoricae sponzionis limitatae*⁷, dicit futurum fuisse, ut ipsa doleret, si Thuringia hac re attractivā orbaretur.

Barbara: »Arbor ovorum paschalium« inquit, »in Thuringiâ facta est consuetudo perquam dilecta paschalis. Utinam inveniantur homines, qui parati sunt morem familiae Saalfeldensis traditum continuare.«

At *Christa Kraft* hanc spem in dubium vocat. »Puto« inquit, »non iterum inventum iri homines tam morbosos«. Eius maritus autem rebus futuris magis confidens affirmat: »Suspenso animo exspecto, quoniam vecturi simus proximo anno futuro, ut spectemus arborem ovorum novam«. Sed adhuc patet porta horti Kraftiani – usque ad diem Lunae paschalem (d.6. m. Aprilis), cottidie a horâ decimâ matutinâ usque ad sextam vespertinam, licet intrare gratis!

⁷ *Thuringiensis societatis philotheoricae sponzionis limitatae* i.e. vulgo *Thüringer Tourismus GmbH*.

DE LEPORE PASCHALI



LAETUM FESTUM PASCHALE! Ecce paschalis chartula cursualis, cuius sigillum a.1904 est impressum¹. Lateri imaginis inscripta sunt haec verba: *Nun haben sie's deutlich gesehen, die Beiden, Wohin seine Gaben der Hase gesteckt, Ei, werden Euch morgen die Andern beneiden, Wenn Ihr alle Eier zuerst entdeckt!* – i.e. Latinē: Nunc ambae clarē viderunt, quo lepus dona sua abderet, eia, alii cras quantum invidebunt vobis, quae omnia ova inveneritis primae!

Lepus paschalis est animal fabulosum, quod secundum morem paschalem traditum a parentibus narratur liberis ova depingere et in hortum abdere. Itaque talia ova a parentibus horto imposta mane diei Dominici (aut Lunae) paschalis a parvulis quaeritantur.

¹ cfr <http://www.goethezeitportal.de/digitale-bibliothek/quellen-und-studien-zur-bildungs-und-kulturgeschichte/ostern-2014.html>

QUOMODO E CHOEROGRYLLO SIVE PROCAVIĀ FACTUS SIT LEPUS PASCHALIS



*Choerogryllus*¹ (*Procavia capensis*) est animal mammale cuniculi magnitudine, marmotae sive muri Alpino simile. *Choerogryllus* in Israhelia fere ubique invenitur, sed praefert plagas saxosas, discissas. Hoc animal in Vetere Testamento bibliae memoratur, sed ab Hieronymo aut alio interprete bibliae Latino per errorem habetur pro lepore (Psalmi 104,18; Proverbia 30,26).

Choerogryllus quibus locis biblicis inveniatur

In variis terris Europaeis ovum factum est symbolum festi paschalis, si tardissimē, aevo medio, fortasse iam prius. Praeterea ex aetate Ambrosii lepus habetur pro symbolo resurrectionis. Tempore mediaevali christiana vis leporis symbolica apparuit multis in imaginibus. Certē ipsa fecunditas leporis spectat ad tempus vernale, sed adhuc incertum est, quaenam ratio intercedat inter leporem et morem ovorum paschalem. Solent afferri hypotheses quae sequuntur:

1 hebr. שָׁפֵן *Šāfān*, theod. Klippschliefer, Klippdachs; angl. rock hyrax; fr. daman des rochers; hisp. damán roquero; ital. irace del Capo.

1. Nonnullis in ôvis paschalibus aetate maturâ depictis invenitur imago trium leporum, id est imago trium leporum, qui in summâ sunt tribus tantum auribus, qui tamen propter usum aurium duplē singuli habent binas; haec imago hodie est symbolum trinitatis (vis originalis est incerta). Fortasse homines hac imagine perceptâ mente finixerunt leporem esse ovorum apportatorem.

2. Loco quodam biblico (Psalmi 104,18) in versionibus vetustioribus memorantur *lepores*. In causâ fuit versio Latina loci Proverbiorum (30,26), in qua Hieronymus verbum hebraicum שָׁפֵן *schafan* (choerogryllus, zool. *Procavia capensis*) reddidit verbo latino, q.e. *lepusculus*. Inde ex aetate antiquitatis posterioris hic locus habebatur pro symbolo hominis infirmi (leporis), qui aufugit ad saxa (Christum). Hac interpretatione exorta est vis symbolica leporis in christianâ iconographiâ.

Choerogryllus biblicus

Investigatores recentiores putant animal, quod in bibliâ nominis sit hebraici שָׁפֵן, šāfān, graeci χοιρογρύλλιον, esse id animal mammale, quod zoologi moderni appellant *Procaviam capensem*.

Choerogryllus in Psalmo 104 describitur animal, cuius refugium sunt saxa (Psalmi 104,18). In libro Proverbiorum choerogryllus dicitur esse animal inops atque infirmum, quod sapientiae suae causâ tamen aedificat habitacula in saxis (Proverbia 30,24,26). Praeceptum autem libri Levitici, quo choerogryllus dicitur immundus esse, quia ruminet, sed non habeat unguis fissas, videtur errore redactorum biblicorum exortum esse (Leviticus 11,5). Ex eodem loco derivatus est locus parallelus libri Deuteronomii (14,7). Ecce synopsis locorum ipsius Versionis Septuagintae² et Versionis Vulgatae, qui spectant ad choerogryllum:

SEPTUAGINTA Psalmi 103(104),18	ὅη τὰ ὑψηλὰ ταῖς ἐλάφοις, πέτρᾳ καταφυγῇ τοῖς χοιρογρύλλοις.
--------------------------------------	---

VULGATA Psalmi 103,18 Montes excelsi cervis, petra refugium **erinaciis**.

SEPTUAGINTA Proverbia 30,26	καὶ οἱ χοιρογρύλλοι, ἔθνος οὐκ ἰσχυρόν, οἱ ἐποιήσαντο ἐν πέτραις τοὺς ἔαυτῶν οἴκους·
--------------------------------	---

² Septuaginta, -ae f. cfr Albert Sleumer, Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg a.d. Lahn 1926, p.716.

VULGATA Proverbia 30,26 **Lepusculus** plebs invalida, quae conlocat in petra cubile suum.

SEPTUAGINTA Leviticus 11,5 καὶ τὸν δασύποδα, ὅτι ἀνάγει μηρυκισμὸν τοῦτο καὶ ὄπλὴν οὐ διχηλεῖ, ἀκάθαρτον τοῦτο ὑμῖν·

id.11,6 καὶ τὸν χοιρογρύλλιον, ὅτι ἀνάγει μηρυκισμὸν τοῦτο καὶ ὄπλὴν οὐ διχηλεῖ, ἀκάθαρτον τοῦτο ὑμῖν·

VULGATA Leviticus 11,5 **Chyrogryllus**, qui ruminat ungulamque non dividit, immundus est. 6 **Lepus** quoque, nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit.

SEPTUAGINTA καὶ ταῦτα οὐ φάγεσθε ἀπὸ τῶν ἀναγόντων μηρυκισμὸν καὶ ἀπὸ τῶν διχηλούντων τὰς ὄπλας καὶ ὄνυχιζόντων ὄνυχιστῆρας· τὸν κάμηλον καὶ δασύποδα καὶ χοιρογρύλλιον, ὅτι ἀνάγουσιν μηρυκισμὸν καὶ ὄπλὴν οὐ διχηλοῦσιν, ἀκάθαρτα ταῦτα ὑμῖν ἔστιν·

VULGATA, Deuteronomium 14,7 De his autem, quae ruminant et ungulam non findunt, haec comedere non debetis: camelum, leporem, choerogryllum, quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.



Marius (Marius) Ludwig

Error gravissimus: Ova numquam fuisse afferenda lepori paschali

*Die Dominico, d.20. m.Apr., a.2014, h.11:01· rettulit **Marius Ludwig** diurnarius ephemeridis „FOCUS-Online“ bestiarum peritus, in Latinum convertit Nicolaus Groß.*



Falsâ interpretatione e choerogryllo animali biblico factus est lepus. Itaque nobis videtur esse consentaneum, ut secundum morem traditum ova paschalia afferantur a lepore.

Si in bibliâ omnia descripta essent rectâ ratione biologicâ, hodie parvulis ova paschalia non afferret lepus, sed animal prorsus aliud. In culpâ huius erroris est Hieronymus pater ecclesiasticus.

Non ita certum est, quomodo exortus sit mythus leporis paschalis. Multae sunt theoriae. Scimus autem, quis leporem tulerit in bibliam ideoque versus festum paschatis: Hieronymus pater ecclesiasticus, qui bibliam e Graeco vel Hebraico convertit in Latinum.

At ecclesiastici quoque patres non sunt infallibles. Quarto saeculo cum Hieronymus Vetus Testamentum tractaret, in capitulo 30 libri Proverbiorum hebraicum illud »shapan« (שָׁפָן, šāfān, gr./lat. choerogryllus, zool. *Procavia capensis*) reddidit nomine latino *leporis* vel *lepusculi*.

Choerogryllos aspectu similes esse cuniculis, sed iisdem non esse affines

Itaque inde lepus eum locum obtinuit, qui iure concedendus est choerogryllo. Prefecto choerogrylli aliquatenus aspectu sunt similes cuniculis crassulis aut marmotis¹ bene nutritis. Magnitudine quoque illis similes sunt. Adversus hanc similitudinem choerogrylli a biologis non referuntur in numerum animalium *Rodentium* sive *Lagomorphorum* (i.e. leporibus similiis), sed in propriam familiam, quam stupemus arte affinem esse elephantis et sirenii².



Ecce choerogryllus verus lepus paschalis!

Hae bestiolae pellitae, quae incolunt Africam Asiamque occidentalem, ibi vivunt praecipue in regionibus saxosis, ubi se abdunt in saxorum fissuras cavernasve. Difficile est dictu, unde mirum nomen theodiscum, quod est *Klippschliefer* derivatum sit, – fortasse a *Klippe*, quod valet saxum. Ergo *Klippschliefer* fortasse significat *dormitorem saxorum*.

In hodiernis autem bibliis in locum leporis quadam cum rectitudine politicâ et biologicâ suppositum est nomen choerogrylli theodiscum, q.e. *Klippdachs*. At nimis sero hoc factum est. Nam munus ova paschalia afferendi iam pridem firmiter ac immutabiliter attributum erat lepori.

Hispaniam nomen suum debere choerogryllo

Ceterum eo quod choerogryllus similis est lepori vel cuniculo, Hispaniae nomen impositum est. Antiquâ aetate cuniculi feri nullâ ferê in terrâ vivebant nisi in paeninsulâ Hibericâ et Francogallia meridionali. Phoenices, qui cunicularum erant ignari, cum circiter a.1100 (anno millesimo centesimo) a.Chr.n. primo Hispaniam intravissent, per errorem putaverunt bestias longis auribus instructas ibidem circumsilientes esse choerogryllos, quales

1 orig. Murmeltier, angl. marmot.

2 orig. Seekühe, angl. sea cows.

incolerent patriam suam. Quia illâ aetate Hispania videtur abundavisse cuniculis, Phoenices paeninsulam hibericam nuncupaverunt *I-shapan-im* (i.e. Terram Choerogryllorum), unde exortum est nomen Hispaniae latinum.

Itaque choerogryllus ubique terrarum quodammodo est bestia unica, quae id nacta est, ut fieret patrinus totius terrae baptismalis.

Myron³ e stercore choerogrylli factum

At tertîâ quoque de causâ choerogryllus memoratu dignus est: ex excrementis choerogrylli petrificatis⁴ perbene confici potest myron. Choerogrylli enim habent communes locos urinae merdaeque reddendae, qui plerumque sunt cavernulae aut parvae montis projecturae. Quia hae – ut ita dicam – latrinae choerogryllorum, ab omnibus bestiis alicuius coloniae per annos frequentantur, in iisdem accumulantur massae exrementorum, quae facile decerptae colliguntur.

Talis massa stercoris choerogryllorum petrificati appellatur *hyraceum*. Quod hyraceum collectum in pulverem redactum solvitur alcohole puro. Fragrantia, quae tum exoritur, monet mixturae, quae composita est e moscho, castoreo, oleo zibethi, tabaco.

Marius Ludwig est unus e librorum bestiariorum auctoribus Germaniae illustrissimis. Viginti libri, quibus facete atque delectabiliter tractat phaenomena naturae, idem biologus ad gradum doctoris promotus usque nunc publicavit. Liber *Fabularum e regno animalium sumptuarum incredibilium* ab eo scriptus est plurimum divenditus. Ceterum idem potest etiam publice audiri: Septimanatim in Radiophoniae Germanicae (*Deutschlandradio*) emissione propria, c.t. Colloquium Bestiarium (*Das Tiergespräch*), Marius exponit res scientiarum recentissime cognitas – dummodo iisdem animus auditorum excitetur et obstupescat. Marius Ludwig, qui animo inflammato solet montes ascendere, Caroliruha in urbe habitat una cum uxore duabusque felibus domesticis.

3 orig. Parfüm, angl. perfume.

4 *petrificatus, -a, -um, i.e. in lapidem redactus.

QUATENUS LEpus SPECTAT AD FESTUM PASCHALE?¹

Scripsit Pinchas Lapide, in Latinum convertit Nicolaus Groß.



PINCHAS LAPIDE

1922-1997

Ut hoc statim praedicam: Non sat certē investigari potest, quatenus lepus spectet ad festum paschale et quomodo factus sit lepus paschalis. Sed lepus maturē iam videtur rationem iniisse cum ecclesiā necnon tertio iam saeculo memoratus est in christianis homiliis.

In causā est mendum interpretandi sat efficax. In Salomonis Proverbiorum versione graecā (30,26) leguntur haec: *Lepores – plebs invalida; tamen domum suam aedificat in saxis².*

¹ Textus originalis invenitur hōc in opere: Pinchas Lapide, Ist die Bibel richtig übersetzt? Gütersloh 2004, p.214-216.

² Pinchas Lapide ipse affert versionem theodiscam, quae est: „Hasen – ein schwaches Volk; dennoch baut es sein Haus in den Felsen.“ Doleo, quod versionem Graecam illius Onceli (2.saec.), quam theodisce reddidit, non habeo. In versione Septuagintae hoc loco rectē afferuntur choerogrylli (v. supra p.21): **οἱ χοιρογρύλλοι.** – De Oncelo cfr <https://en.wikipedia.org/wiki/Onkelos>: “**Onkelos** (Hebrew: **וֹנָקֵל**, אונקלוס), possibly identical to [Aquila of Pontus](#) or [Aquila of Sinope](#), was a [Roman national](#) who converted to [Judaism](#) in [Tannaic](#) times (c. 35–120 CE). He is considered to be the author of the famous [Targum Onkelos](#) (c. 110 CE).”

At in hebraico textu originali actum erat de choerogryllo, e quo Oncelus interpres saeculo secundo sine morâ fecit pedetem³ nequaquam inhabitabat habitacula saxosa. Priores interpres ecclesiastici pedetem mutaverunt in leporem.

Cum metaphora leporis ad Iesum eiusque ecclesiam »super hanc petram aedificatam« spectans patribus ecclesiasticis esset consueta, iisdem interpretatio huius symboli videbatur esse facilis intellectu: Pro certo habebant regem Salomonem nomine leporum iam appellasse paganos, nam refugium iisdem petendum esse ecclesiam quodammodo saxum spirituale – ut dicebatur tertio iam saeculo.

Exemplum leporum a missionariis homilias habentibus libenter adhibebatur, praesertim in baptismatis petitoribus instituendis. Itaque lepus saeculo quarto saepe invenitur in operibus tessellatis sacellisque baptismalibus; homini baptizando hoc exemplum hōc modo proponebatur: Ut lepus domum suam in saxo aedificaret, ita hominem usque nunc infidelem baptimate vitam suam in Iesu condere. Sed baptisma quia illis diebus solebat fieri festo paschali, prima ratio intercessit inter leporem et festum paschatis, cuius effectu postea mente confictum esse leporem paschalem verisimile est.

Licet lepores falsā interpretatione immerito sint honestati, iidem tamen etiam adhibiti sunt ad proponendum exemplum malum. Lepus quod referebatur in numerum bestiarum inedibilium (Lev.11,6), eidem certē nequaquam displicuit. At propter fertilitatem suam ingentem in mythis antiquitatis habebatur pro animali omnium salacissimo. Itaque miser lepusculus usque ad aetatem reformationis in homiliis castigabatur symbolum hominis impudicissimi, qui lubidini suae nullo modo temperaret. Hōc sensu idem animal miserculum herbivorum iam in imaginibus mediaevalibus saepe appetit symbolum vitiorum humanorum.

Ut dicam brevius – gloria leporis repetenda est ex interpretatione falsā, eius infamia ex mythis paganis. Neutra autem res pertinet ad locutionem theodiscam, quae est *Mein Name ist Hase*⁴ quam a.1885 confinxit quidam alumnus academicus nomine *Viktor Hase*.

Miser autem lepus ne pessimam quidem fortunam effugit: In bibliâ Lutheranâ a.1984 editâ et in versione anni 1980 unificatâ in loco eius iterum positus est *choerogryllus* originalis.

3 theod. Springhase, i.e. verbatim *lepus saliens*; nomen generis zoologici est Πηδέτης (gr. πηδητής, i.e. „saltator“; hoc animal lepori non est simile, potius parvo halmaturo sive macropodi sive canguro).

4 Haec sententiola in Germaniâ bene nôta est haec: *Mein Name ist Hase, ich weiß von nichts*, i.e. Nomen meum est Hase, de nullâ re scio.“

QUID A. 1682 IOHANNES RICHIER SCRIPSERIT DE OVIS PASCHALIBUS DEQUE LEPORE PASCHALI



Georgius Franck de Franckenau a.1682 pictus,
quo praeside **Iohannes Richier** Francofurtensis
in doctorum numerum receptus est dissertatione,
quam eodem anno scripsit **De ovis paschalibus**.

Lepus paschalis primum omnium memoratur a **Iohanne Richier** Francofurtensi, qui a.1682 sub aegide **Georgii Franck de Franckenau** in doctorum numerum promotus est dissertatione, quae inscribitur **De ovis paschalibus – von Oster-Eyern**. Iohannes Richier dicit in Germaniâ superiore, Palatinatu, Alsatiâ regionibusque affinibus more tradito narrari leporem paschalem ova abdere in hortorum gramina fruticetaque, ubi adultis laetantibus a parvulis quaerantur. Quod lepus paschalis ova abdat, Richier dicit *fabulam, quae imponatur infantibus simplicioribusque*.

Alterâ ex parte non licet reticere, quod ipsa ova paschalia vehementer vituperabantur a praedicatoribus Lutheranis. Itaque Iohannes Richier consuetudinem ovorum paschalium dicit unum ex solitis erroribus Germaniae

contemporaneae. Praeterea Richier verbis auctorum medicinalium, velut Galeni et Dioscuridis, allatis conatur demonstrare ova cocta valetudini hominis nocere.

At cum haec dissertatio latina sedecim paginas complexa insit tomo duodecimo seriei opusculorum Heidelbergensis, quae inscribitur *Satyrae Medicae*, licet concludere hunc pastorem Francofurtensem eruditum morum in regionibus traditorum bene peritum potius voluisse iocari quam castigare.

Iohannes Richier: De ovis paschalibus. Diss. Heidelbergae 1682.

Hoc opusculum invenitur in Bibliothecâ Virtembergiae Stutgardensi¹ necnon inspici potest in situ interretiali. Infra lectori proponam paragraphos dissertationis Richierianaæ decem priores et breviarium. Locus, ubi primum omnium commemoratur lepus paschalis, inest paragrapho nonae (v. infra).



Iohannes Richier: „De ovis paschalibus“. diss. Heidelbergae 1682.

p.[1]

Satyrae Medicae, continuatio XVIII. disputatione ordinaria disquirens DE OVIS PASCHALIBUS von Oster//Eyern/ quam deo juvante in celeberrima electorali Heidelbergensi praeside Dn. Georgio Franco med. Ac. Phil. d. pp. Univers. Procancellario Fac.med. decan. Sereniss. Marchion. Badens.

1 Württembergische Landesbibliothek Stuttgart

Archiatr. Acad. S.r.i. nat. curios. et italic. recuperat collega. Jatrophilis exhibet JOHANNES RICHTER Moeno-Francofurtensis. Ad d. Maii MDCLXXXII. horis locoque solitis. HEIDELBERGAE 1682.

p.[2]

Viro plurimum reverendo, clarissimo, et doctissimo, Dn. Joh.(anni) Richier ecclesiae reformatae Gallicae Francofurtensis pastori meritissimo, vigilantissimo, parenti omni pietatis cultu suscipiendo disputationem hanc in debitae gratitudinis, honoris, et amoris testimonium inscribit ac consecrat Joh. (annes) Richier.

p.[3]

§.I.

Varii variis in Germaniae nostrae locis errores hodienum² foventur, qui tamen antiquitate se tueri volunt.

Huc forte non male retulerim OVA PASCHALIA, *di Oster//Eier*, quando sc. ipsis Paschatis feriis tam ruri, quam in urbe ova ad duritiem cocta, non solum nude ita exhibentur, sed variis quoque coloribus insigniuntur, praecipue violaceo, rubro, luteo, viridi, versicolore, appictis variis figuris, lemmatibus etc. Inde et in Saxonia *di schönen Eier/ roten oder gelben Eier* appellantur. Huc forte respexit Erycius Puteanus, in Ovi Encom. F.m.423. a. inquiens: *Ovum est candidum: et omnes tamen colores admittit: Scribi potest, pingi potest, tingi potest; et nunc flavum, nunc rubrum, nunc coeruleum patrii ritus faciunt.*

§.2.

Talia non solum susceptores e baptismo susceptis suis mira, uti sibi persuadent, benevolentia donant atque offerunt: Sed et amici sibi invicem, amasiis amantes etc. De Russorum Paschatis festo ita Olearius *Persischen*

² cfr Krebs, Antabarbarus der lateinischen Sprache, Frankfurt 1843, p.386: „hodiedum und **hodienum**, noch heute, noch heutzutage, sind N.L. (neulateinisch) für hodie oder hodie quoque.“

Reisebeschreibung f.134. et 290. (ap. Dietherr, in orbe novo lit. f.463.) Wann si auff der Gaßen einander begegnen/ grüßen si sich mit einem Kusse auff den Mund/ und sagen: Christus ist auferstanden: darauff antwortet der andre: Er ist wahrhaftig auferstanden. Es wird auch niemand einem andern solchen Kuß und Gruß neben einem gefärbten Ei weigern.

§.3.

Cum autem aliquibus in locis generali quidem nomine *di Oster//Eier* susceptis offerantur commutata in alia et saepe pretiosa donaria vestes puta, aurum argentum etc. ideo magistratus non male illum malum compescuit morem sub mulcta, de qua videantur Dnn. ICti, et praecipue de publico bono reip. civilis et literariae praclare meritus nobili Dn. Ahasv. Fritschivs in Subplem. Speidelio-Besold. f.m.90.a. his verbis: *Oster//Ei holen.* In quibusdam locis, ut in Thuringiae et Misniae partibus usu receptum, *das di Kinder uff Ostern bei Iren Tauffpaten/ das Oster//Ei/ sive ut vocant, das schöne Ei holen.* Alibi vero *ist so wol das Neue Jar gäben/ als das Oster/Ei holen/ sive den Grünen Tonnerstag austelen bey straffe verboten.* Vid. *Ordin.Polit.Elector.Saxon.de Anno 1612. circa finem.* Qua sub mulcta X. thalerorum hoc prohibitum est, licet ob suetam officialium negligentiam male servetur. Ex eodem quoque allegat Doctiss. ICtus Christ.Lud.Dietherr, in orbe novo literat.S Continuat. Besold f.m.463.

§.4.

Originem horum ovorum plerique viri docti fatentur se ignorare. Conjecturae tamen afferuntur. A Judaeis aliqui repetunt: Hi enim in paschatis sui festo inter alias vanissimas ceremonias habent quoque ovum ad duritiem coctum symboli loco. Ita enim scribit Anton. Margarita in lib. Der gantze jüdische Glaube etc. lit.D. August.Vind.1530: *Si nämen ein hart Ei/ das sollt auff di Obfer der feste deuten.* Allegante Nobil.D.Dietherro. l.t.

§.5.

Aliqui ethnicismum sapere volunt. Dannhauer in Evangelischen Denkmal: Orat. in festo paschatos p.m.352. his verbis: *Es haben vorzeiten di blinden Heiden um diese Jars//Zeit herum ire Ludos Circenses Eier//Fest und Eier//Spil gehalten/ da si den beiden Eier-Götzen (Castor und Pollux ovo prognati ab uno Jove-Cyグno in nido Ledaeo) zu ehren in circu ovali, inn*

einem Eier//runden Platz um di Eier inn di Wette geloffen. (von welcher Oster Faßnacht noch auch unter uns Christen/ deren Rum nicht fein ist/ ein Sauer//teig überbliben/ das man auch auff den Ostermontag um di Eier lauffet) daß Papstum hatt auch seinen Chrisam daran gesmiret/ und geordnet/ das/ nachdem man bisher 40. Tage lang sichz deß Fleisches und Eier enthalten müßen/ und nunmehr auff den Ostertag der Paß/ Fleisch und Eier zu äßen/ geöffnet/ das man die Eier in die Kyrch tragen/ und mitt Abergläubischen Cerimonien weihen sollte/ sint lauter lappalia etc.

§.6.

A Jejunio Quadragesimali ortum conjicit quoque maxime reverendus atque excellentissimus D.D.Joh.Lud.Fabritius theologus incomparabilis, fautor et collega noster honoratissimus in doctissimis suis ad me literis 2.Maj. 1682. *Quamvis enim (ait) hodie propter generalem dispensationem concessum sit illo tempore ovis vesci, olim tamen severe prohibebatur. Synodas enim Cpna in Trullo habita Can.LVI. tam laico, quam clericis serio injungit, ut abstineant per Quadragesimam non solum carne, sed et lacte atque ovis. Et d.4. c.6. repetitur Gregorii I. capitulum ad Augustinum Anglorum episcopum, cuius tenor hic est: Par esse, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis originem, jejunemus, lacte videlicet, caseo et ovis. Cum autem finita hyeme sub veris auspiciis gallinae iterum incipient parere ova quam plurima; quibus tamen usque ad paschatos frui non licebat, magna eorum copia fuit asservata; quae dein eo avidis et largius consumebantur. Aut forte illa ova ad duritiem cocta asservabantur donec ipsis feriis illis integrum erat salva conscientia, utut non salvo stomacho; quae dein quoque sacerdotibus aliisque poterant donari.*

§.7.

Nec adeo abludit Rudolph. Hospinianus *De origine festorum christianorum* f.m.65. ita scribens: *Feria illa, quae proxime sequitur Dominicae Resurrectionis diem, germanice der Ostermontag/ multis in regionibus convivia agitantur, quae fere ovis et mellitis quibusdam libis mellitis atque placentis constant. Et pluribus in locis, cum scholastici hymnum illum canunt: Christe qui lux etc. Tum cetera quoque turba puerorum et puellarum ostiatim OVA colligunt, ab iis maxime , qui eos e sacro fonte levarunt, et illa tum simul comedunt, quod vulgo Oesterlen vocant. Ipsa vero OVA sic collecta, tantum non emendicata Zimpfeltag vocant quasi Simbeltag/ propterea quod illis ovis ceu symbolis collatis atque collectis una epulari consueverunt.*

§.8.

Possit forte et huic conjectuae locus esse, videlicet, ova offerri, tanquam emblema resurrectionis. Item quia ex ovo omnia surgunt. Utar verbis Macrobiae I.VII. Saturnal. c.16. dicentis: *Nec importune elementis, de quibus sunt omnia, ovum comparaverim. In omni enim genere animantium, quae ex coitione nascuntur, invenies ovum aliquorum esse principium instar elementi. Aut enim gradiuntur animantia, aut serpunt, aut nando volandove vivunt. In gradientibus lacertae et similia ex ovis creantur. Quae serpunt ovi nascuntur exordio. Volantia universa de ovis proeunt etc.* Videantur e recentioribus, Harveius, Hornius, Graf, Swammerdam, Kerckringius, Bartholinus, Garmannus aliique (de ovario mulierum egimus Sat.Med. contin.IV.§.2. Anno 1674.) qui et ipsum hominem, et omnia animalia (immo addo ego : Omnia corpora viva) ex ovo generari recte statuunt.

Et quomodo aeternitatem ex ovo discere possimus e Pvteano allegat Cl.M.D. Omeisius in prolus. Acad.IV.p.m. 115.

§.9.

In Germania Superiore, Palatinatu nostrate, Alsatia et vicinis locis, ut et in Westphalia **vocantur haec ova di Hasen//Eier a fabula, qua simplicioribus et infantibus imponunt leporem (der Oster//Hase)** ejusmodi ova excludere, et in hortis in gramine, fruticetis etc. abscondere ut studiosius a pueris investigentur, cum risu et jucunditate seniorum. Et revera saepe leporum, h.e. imprudentium nomine possunt venire, qui ejusmodi ovis expositiis non solummodo jocos quaerunt: siquidem saepe cum illis ovis pueri valetudinis suae magnam inveniunt jacturam; quando dein, semoto arbitro, ista justo avidius per ingluviem ingurgitant, sine sale, sine butiro, aut alio condimento, adeoque dolorem voluptate sibi coëmunt, ceu jam ab aliquot annis, multis sum edoctus experimentis. Hac igitur vice conabor quaedam de intempestivi istorum esus noxa edisserere; utut rarissimos habeam, quod hoc in passu praeueentes sequi possim.

§.10.

Monachus quidam franciscanus, cum in festo Paschatos collecta ova a se ad duritiem cocta, ad saturitatem edisset, adstricto ventre, qui neque clysteribus, neque medicamentis cederet, obiit; ceu scribit Brasavolus, allegantibus

Moebius Inst.Med.I.N. p.ac.5.p.m.496.seq. et Jonston. In hygien.p.m.160.sq.
Caussae hujus mali inferius allegabuntur . . .

etc. etc. etc.

p.15

BREVIARIUM

1. Inter absurdia Germ. ritus ova paschalia varii coloris. 2. quibus data.
3. commutata in pretiosiora multantur. 4. Origo Judaeis. 5. ab ethnicis. 6.
a Quadragesima. 7. *OsterMontag/ Oesterlen/ Zimpfelftag*. 8. Ex ovo omnia viventia. 9.
Di Hasen//Eier et eorum noxa. 10. in monacho. 11. in puella. 12. in puer. 13. divisio
ovorum non convenientium. 14. Ova frixa. 15. omnium pessima. 16. Ova
suffocataccum modo parandi et usu. 17. Ova assa. 18. ova paschalia i.e. dura. 19.
Laudantur, 20. 21. improbantur. 22. An calculum generent. 23. Negatur. 24. Albumen,
quale in concoctione. 25. Ovorum durorum noxa ulterior. 26. An in febb. Ova
conveniant? 27. Usus eorum ap. Ebraeos et noxae probatio. 28. Salat mitt Eiern. 29.
Nocent quoque quia tincta coloribus. 30. Curatio. 31. Conclusio cum refutatione
Americanorum.

Num ex „agno Dei“ factus est „lepus paschalis“?¹
Quomodo lepus paschalis factus sit saeculare animal paschale

*Scripsit Prof. Dr. theolog. Manfred Becker-Huberti Coloniensis,
in Latinum convertit Nicolaus Groß.*



Aetate hodiernâ lepus qui dicitur paschalis factus est quodammodo animal festi paschalis symbolicum. E contrario a patribus ecclesiasticis lepus habebatur animal infame. Vetabant, ne idem comederetur, quia eius carne excitaretur libido. Propter suam petitionem coeundi diuturnam suamque fertilitatem lepus prius dicebatur esse symbolum libidinis. Duabus autem theoriis explicatur, quomodo lepus factus sit lepus paschalis. Investigatores eam defendantes, quae est magis popularis quam altera, coniciunt leporem paschalem esse exortum pane paschali male cocto: Agnum enim paschalem in furno deformatum habitum esse pro paschali lepore. Sic ex agno Dei factum esse paschalem leporem. At hac theoriâ magis temere quam doctê inventâ non explicatur, cur lepus paschalis narretur ova paschalia afferre et abdere. Itaque verisimilior esse videtur altera theoria, qua lepus paschalis docetur ita ut sertum adventuale² inventus esse a christianis evangelicis.

Ōvis paschalibus olim confessiones esse distinctas

Cum inter catholicos mos ōvi paschalis depicti eiusque ritus liturgiae iniunctus, id est ovorum benedictio, per saecula permaneret, hae consuetudines a praedicatoribus evangelicis cooperunt vituperari: Medicus enim Heidelbergensis nomine *Johannes Richier* dissertatione suâ, c.t. *De*

1 v. http://www.brauchtum.de/fruehjahr/ostern_2.html. Prof. Dr. theolog. Manfred Becker-Huberti, Köln: *Vom „agnus Dei“ zum „lepus paschalis“? Wie der Osterhase zum säkularen österlichen Symbolstier wurde.* http://www.brauchtum.de/fruehjahr/ostern_2.html

2 orig. Adventskranz.

ovis paschalibus / von Ostereiern a.1682 vituperat ova paschalia ut errores aetatis antiquae. Sed imprimis ei cordi est res medicinalis. Nam Richier loquitur de morbis frequentibus, qui efficiantur ôvis, quae dicantur a lepore allata esse, abunde comesis necnon refert de variis casibus, in quibus ovis paschalibus duris immodicê comesis et iuvenes et senes in mala incidisse graviora stomachi intestinorumque: Monachum quendam franciscanum, cum festo paschatis ova a se collecta comedisset, fatis concessisse. Alium tempore paschali ovum rubrum degluttire voluisse integrum, sed cum fuisset ovum nimis magnum, collum nimis parvum, illum mox suffocatum esse. Hôc autem in contextu sermonis idem medicus loquitur de lepore paschali. Qui scribit cum cetera tum haec: *haec ova di Hasen//Eier a fabula, qua simplicioribus et infantibus imponunt leporem (der Oster//Hase) ejusmodi ova excludere, et in hortis in gramine, fruticetis etc. abscondere ut studiosius a pueris investigentur, cum risu et jucunditate seniorum.* Hôc loco furtim vituperantur ova paschalia ipsa, quae saeculo decimo septimo essent phaenomena merê catholica. Catholici enim ova paschalia considerabant symbola Christi resurrecti, quae – picta et benedicta – credebantur esse salutifera; quae etiam effecta erant ordine ieunii catholico, quo interdictum erat, ne inter iejuneum comederentur ova. At christiani evangelici credebant ovis paschalibus subesse falsam sententiam iustitiae labore assequendae. Nam secundum fidem reformatoram homo coram Deo non fit iustus laboribus exanclandis, id est ieuniis quoque patiendis, sed *solâ fide*. Haec sententia exprimi potest formulâ populari: *Ôvis non fit festum paschale* – quasi catholici hoc umquam contendissent!

Eo quod praedicatores evangelici recusabant ova paschalia catholicorum, non est impeditum, ne evangelici quoque christiani inciperent ova paschalia adhibere, sed nunc saecularia. Ipsi autem ôvis saecularibus effectum est, ut mente configneretur lepus paschalis. Ex a.1700 ex unâ parte complura inveniuntur scripta evangelica, quibus vituperantur *fidei paschalis vitia*, ut doctrinâ morali impugnentur catholici mores paschales traditi. Ex alterâ autem parte cives urbani evangelici favere coeperunt ôvis paschalibus adhibendis: Circa annum 1800 cives sibi effecerunt mundum familiae proprium animi inclinatione flebili atque romanticâ ab aliis hominibus societatis seclusum, qui sibi videbatur esse ad indolem parvolorum quam aptissimam et qui quadamtenus commixtus erat ex animorum benevolentî atque turgore, flebilitate et simplicitate³.

IIIâ aetate ova paschalia in familiis civium urbanis iam comprobabantur, sed non ut symbola religionis aut cultûs civilis, sed – tamquam partes familiaris

³ orig. „eine romantisch-rührselige ghettohafte Familienwelt, sondern in ihr eine eigene - vermeintlich kindgemäße - Kinderwelt, eine Mischung aus Gutwilligkeit und Pathos, Sentimentalität und Naivität.“

festivitatis paschalis – ut dona parvulis danda. His ôvis paschalibus saecularibus id erat proprium, quod – a parentibus abdita – a liberis erant investiganda. Talis ovorum paschalium indagatio a.1783 in domo Goethei Vimariensi facta esse (nota bene factam esse die ante parasceuen) tradita est⁴. Nec sine causâ, nam indagatio ovorum paschalium necnon lepus paschalis non inveniuntur nisi in evangelicis regionibus et apud evangelicos auctores. Ii, qui hanc rem explicare volunt, libenter provocant ad leporis fertilitatem aut mores, quos hae bestiae exhibent inter tempus copulandi praepaschale: Lepores in loco solent diutulê permanere immoti (quasi morâ utantur ad ova parienda), deinde subito prosiliunt. Quod – plerumque ratione ironicâ – indicium affertur stercus leporinum tamquam „ova paschalia“, eo confert ad argumentum, quod stercus leporis reverâ est formâ ovali rotundâve et saepe humo impositum est tamquam nido. At tales fabellae numquam poterant narrari parvulis ruralibus. Itaque lepus paschalis – similiter ac *Adebar*, i.e. ciconia, quae narratur infantulos afferre – est confictio civium urbanorum.



Medio aevo »imago trium leporum« bene nôta erat. In eâdem tres lepores in circulo ita sunt efficti, ut in summâ tres tantum aures sint necessariae, ut omnes tres lepores haberent aures binas. Simul longis auribus efformatur triangulum, quod esse videtur symbolum trinitatis. Ex hac imagine fortasse repeti potest origo leporis paschalis. Exemplum talis imaginis pulcherrimum invenitur in Paderbornensis ecclesiae cathedralis porticu quadrilaterâ, quae appellatur *fenestra trium leporum*. Imago trium leporum invenitur etiam in heraldo *Haslochiano*, item in lapide finali ecclesiae Petri et Pauli, quae sita est *Vissemburgo in oppido Alsatiae*. In Helvetiâ talis imago invenitur in ecclesiae *Lapersvilensis* arcu chorali. At postea tales imagines prohibitae sunt, nam hae imagines trinitatis non verae sunt, nisi supponitur unitas trium personarum Dei, iisdem imaginibus ergo postulatur aequitas harum personarum. At quia Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt personae diversae, imago trium leporum postea a theologis est recusata.

⁴ cfr Heinrich Dünzter, Studien zu Goethes Leben, Leipzig 1861, tom.1, p.172 sq. Ibi verba afferuntur cuiusdam viri nominis *Matthisson*, qui narrat de festo ova indagandi parvolorum, quod ipse vidit a Goethe institui a.1783, d.19. m.Apr., in horto domûs suea.

Victoria leporis paschalis

Licet lepus paschalis circa annum 1800 demum incipit praevalere, tamen est vetustior. Iohannes Richier in Heidelbergensi suâ dissertatione refert haec: *In Germania Superiore, Palatinatu nostrate, Alsatia et vicinis locis, ut et in Westphalia vocantur haec ova di Hasen//Eier a fabula, qua simplicioribus et infantibus imponunt leporem (der Oster//Hase) ejusmodi ova excludere, et in hortis in gramine, fruticetis etc. abscondere ut studiosius a pueris investigentur, cum risu et jucunditate seniorum.* Causa nominis ovorum leporini probabilis in catholicis saltim regionibus non videtur fuisse lepus paschalis, sed certa quaedam imago, qua ova paschalia depingebantur. *Henricus Vilelmus Tischbein* pictor Goethei refert circa annum 1760 in protestanticâ Hassiâ septentrionali in festum paschale ova depicta esse figuris flavis, rubris, caeruleis. *Cuidam ovo infuerunt tres lepores cum tribus auribus, tamen omni lepori fuerunt solitae aures duae.* Hôc loco describitur *imago illa trium leporum.* Hodie notissima imago huius generis vitrea invenitur in portico quadrilaterâ ecclesiae cathedralis Paderbornensis. Imagine trium leporum, qua tres lepores intra circulum sic exhibentur, ut altera auris unius leporis videtur etiam particeps esse alterius, illustratur trinitas, id est unitas, quae inest trium compositioni. Eo quod tales imagines leporum primum apparuerunt in ôvis paschalibus catholicis, postea in evangelicis quoque, moribus ovorum catholicis sublatis fieri poterat, ut simplici ratione concluderetur lepores ôvis impictos ova secum attulisse.

Lepus paschalis supra limites confessionum non est transgressus cogitatione oecumenicâ aut conscientiâ nationis exortis. Idem animal ficitum percrebrescebat tribus rebus quae sequuntur: industriâ dulciariâ et libellis infantulorum et chartulis cursualibus. Saeculo undevicesimo, quo modo inventum erat certis rapis confici posse saccharum, lepore paschali invento fabricatores dulciariorum novam spem conceperunt lucri sui augendi. Lepores omni formâ instructi, sed semper dulces, facti sunt merx certo tantum tempore anni vendibilis, qua primum exornatum est novum festum parvulos donandi, postea ad adultos quoque spectavit. In libellis infantulorum cooperunt familiae leporum humanis similes vitam monstrare, quae per totum annum nulli rei alii videbatur dedicata esse ac ôvis quam pulcherrimis pariendis, quae offerrentur infantulis quam carissimis. Chartulis cursualibus, quae in festum paschale scribebantur, *salutationes paschales*, non sôlum lepus paschalis – plerumque arte ineptulâ⁵ exhibitus - diffundebatur, sed ex iis etiam apparebat, quale festum fuerit illis hominibus: festum saeculare, quod celebrabatur in familiis civium, quae tamquam castra mediaevalia ab aliis

⁵ ars ineptula, i.q. Kitsch.

erant seclusa, e quibus extranei sermone scriptuali salutabantur, ratione tectâ et frigidâ⁶.

Cultus autem leporis paschalis occultationisque ovorum paschalium a fide christianâ privatus eo insignis est, quod appetet donator eodem modo, quo fabellis pii legendis appetet donator Sanctus Nicolaus, cuius munus translatum erat ad *Christum Infantulum* saecularemque *Virum Natalicium*: Lepus quoque donabat clam et incognitus. Lepus paschalis apud ova inventa numquam conspiciebatur, semper modo aufugisse dicebatur.

Perscrutatores invenerunt leporem paschalem brevi ante bellum mundanum primum ruri adhuc magnâ ex parte ignotum fuisse. At a.1932 lepus paschalis ubique erat nôtus limitesque confessionum erat transgressor. Tamen idem in nonnullis familiis catholicis, quae moribus traditis erant deditae, hoc animal ficticum adhuc quadamtenus habetur pro mirione⁷ supposito, quem homines non arcessiverunt et de quo quid faciant, nesciunt. Talibus familiis lepus paschalis potius videtur esse decoramentum inevitabile et inexplicabile. E sententiolâ sermone salebroso ad infantes apto confictâ, quae de lepore paschali dici solebat in regione Mosellanâ, appetet, quam remoti fuerint homines rurales ab istâ personâ donatoris artificiali, quae erat a civibus urbium evangelicis conficta: *Die Mutter färbt die Eier, der Vater legt sie ins Gras. Dann meinen die dummen Kinder, es wär' der Osterhas*⁸.

Gallina paschalis, gallus paschalis, vulpes paschalis, avis paschalis, ciconia paschalis.

Licet hodie lepus paschalis nôtus sit Germanis omnibus, sed hoc non semper ita fuit. Tirolenses loquuntur etiam de *gallinâ paschali* ova paschalia pariente. Incolae Bavariae superioris, Austriae, Thuringiae, Slesvigis-Holsatiae narrabant ova afferri a gallo, Hannoverani a vulpe, homines prope limitem batavicum habitantes ab ave paschali sive grue. In Thuringiâ ciconia dicitur ova attulisse paschalia. Quibusdam in regionibus Helvetiae ova paschalia afferuntur a cuculo. In Bavariâ superiore singulis locis ipse agnus paschalis (!) dicebatur apportator ovorum. In Vogesis montibus et in Carinthiâ campanae, cum feriâ quintâ in cenâ Domini obmutescunt, dicuntur easdem

6 orig.: „Ein säkulares Fest in bürgerlich-familiärer burgenartiger Abgeschlossenheit, aus dem man Fremde distanziert und kühl schriftlich grüßte.“

7 mirio, -onis m.: orig. *Kretin*. cfr Otto Keller, Lateinische Volksetymologie und Verwandtes. Wiesbaden 1891, p.133: „Mirio: Aus morio von μωρίων, μωρός – Cretin, ist im archaischen Latein mīrio, missgestalteter Mensch, auch Fratzengesicht hervorgegangen...“

8 i.e. Latine: Mater ova colorat, pater graminibus imponit. Deinde stulti putant pueri, hoc fecisse leporem paschalem.

Romam volavisse, ut afferrent ova paschalia. Eas die sabbati antepaschali reversas praetervolantes ova in gramina deicere, ubi quaerenda sint a parvulis. At in Italiâ lepus paschalis lepus paschalis prorsus ignotus est.

Ubi conficiuntur panicia paschalia, forma leporis paschalis est gratissima: Panes sunt placentaeque in formam leporis redactae, in quibus leporis posteriora saepe instructa sunt ovo paschali. Panificium haud rarius est agnus paschalis. Hilari quodam carmine Eduardi Mörike describitur, qualis ratio intercedat ovo leporique paschali: *Die Sophisten und die Pfaffen / Stritten sich mit viel Geschrei: / Was hat Gott zuerst erschaffen, / Wohl die Henne? Wohl das Ei? / Wäre das so schwer zu lösen? / Erstlich ward ein Ei erdacht: / Doch weil noch kein Huhn gewesen, / „Schatz, so hat's der Has' gebracht.⁹*

**HAEC SYMBOLA
DE ORIGINE LEPORIS PASCHALIS
A
PROFESSORE MANFREDO BECKER-HUBERTI
COLONIENSI
EST CONSCRIPTA
A
NICOLAO GROSS
IN LATINUM CONVERSA.**

9 i.e. Latinê: Sophistae et clericuli/ rixati sunt magno clamore sublato:/ Quid Deus primo creavit, /Utrum gallinam? An ovum?/ Primo ovum est excogitatum:/ Sed quia gallina nondum fuerat/ "Cara mea, allatum erat a lepore".

ECCE INSIGNE EPISCOPI LEPORARIUM



**Insigne Episcopi Pauli Varnerii Scheele,
qui fuit episcopus Heribopolitanus a.1979-
2003**

Huic insigni, quod divisum est in duos campos, in capite scuti inest crux rubra albo colore circumdata, id est insigne veteris Episcopatus Principalis Paderbornensis (quo significatur, quam artē Episcopus *Scheele* coniunctus sit cum fide infractē traditā). Infra in altero campo scuti invenitur colore aureo circumdata **imago illa trium leporum**, cuius exemplar originale inest cuidam **fenestrae porticū quadrilaterae ecclesiae cathedralis Paderbornensis** (triplicitas simplex et simplicitas triplex est symbolum mysterii fidei praecipui Ecclesiae Catholicae totiusque Christianitatis.)

Episcopi autem verba electissima sunt **Pax et Gaudium**, quae inveniuntur in Epistulā Sancti Pauli ad Romanos scripta (Rom.14,17): **NON EST REGNUM DEI ESCA ET POTUS, SED IUSTITIA ET PAX ET GAUDIUM IN SPIRITU SANCTO.**

**LAGOLOGIA
SIVE
HISTORIA LEPORUM**



„Iuvenis lepus campestris“. Aquaria pictura illustrissima a.1502 ab Albrecht Dürer confecta.

PARS I: DE LEPORE EUROPAEO



Lepus europaeus

ORDO SYSTEMATICUS

<i>subclassis:</i>	Eutheria
<i>superordo:</i>	Euarchontoglires
<i>ordo:</i>	Lagomorpha
<i>familia:</i>	Leporidae
<i>genus:</i>	<i>Lepus</i>
<i>species:</i>	<i>europaeus</i>

Nomen scientificum

Lepus europaeus

Pallas 1778

Lepus europaeus est animal mammale familiae Leporidarum.


Argumenta

- 1 Lepus europaeus ubi vivat
- 2 Quâ sit structurâ corporis, quibus notis specialibus
- 3 Modus vivendi
- 4 Nutritio
- 5 Prolis propagatio et ontogenesis
- 6 Quibus nōtis lepus differat a cuniculo
- 7 Lepus quantum pertineat ad hominem
 - 8. 7.1. Venatio leporaria, pericula lepori imminentia
 - 9. 7.2 Mores mythique ad leporem spectantes

1 Lepus europaeus ubi vivat. Qui lepus invenitur in Europâ et Asiâ occidentali (Pachistaniâ, Pentapotamiâ (= Punjab), Turciâ, Iraciâ, Iraniâ) necnon Africâ

Septentrionali. Lepus imprimis inhabitat tesqua, sed invenitur etiam in silvis et in Alpibus usque ad altitudinem 1600 (mille sescendorum) metrorum. In Germaniâ in uno metro quadrato biotopi sui in medio versantur 16 (sedecim) lepores.

2 Lepus quâ sit structurâ corporis, quibus nōtis specialibus.



Cranius Leporis europaei.

Lepus europaeus longitudine est 60 vel 70 centimetrorum, pondere medio 4 vel 5 chiliogrammarum; per exceptionem habet pondus octo chiliogrammarum. Idem animal insigne est auribus perlóngis, brevibus pedibus anterioribus, posterioribus longis. Pellis leporis fusca vel rubro-fusca ad corpus celandum bene apta est. In leporis ano, naso, buccis inveniuntur glandulae odorariae, quarum secretum lepus pedibus anterioribus per totum corpus digerit. Quo fit, ut lepus olfactu suo acerrimo praecipue tempore coeundi agnoscat lepores coniugales. Auditu quoque valde bonus est, sed visus parum. Situ oculorum laterali campus leporis visualis est quidem 360 (trecentorum sexaginta) graduum, sed prospectus capite immoto est in regionibus oculorum marginalibus, praeterea lepus est insigniter myopus.

3. Modus vivendi. Lepus europaeus est pertimidus, solet nocte versari solitarius. Itaque die plerumque immotus sedet in fovea, caput tenet vento adversum, ut olfactu suo per bono sentiat pericula. Lepus solet sedem retinere, perbene scit se celare, adversarios suos, velut vulpem, ictidem (melem seu martem), varias aves raptrices necnon homines plerumque non fugit nisi ultimo momento temporis. Lepus pedum posteriorum longitudine generaliter valde agilis est, saepe saltūs facit praealtos, cursum raptim flectit, ad circumiecta observanda saepe pedibus posterioribus consistit. Lepus fugit velocitate quinquaginta, per breve tempus septuaginta maximum chiliometrorum horalium, cursum in eo per 90 (nonaginta gradūs) flectit, salire potest in altitudinem trium, in longitudinem septem metrorum

4. Nutritio. Lepus in crepusculo latebras relinquit nec revertitur nisi brevi ante primam lucem. Comedit plantas, praecipue gramina et herbas, frumentum, brassicam, trifolium, eqs. Lepus est acribus dentibus rosoriis; labio superiore diffisso (unde chiloschisis, quoddam vitium labii humani superioris, vocatur 'labium leporinum') facilis rodit. Cibus crassior dentibus molaribus disteritur.



Lepus europaeus in Rhenaniâ Vestfaliâ versans.



Vestigia Leporis europaei nivi impressa.

5. Prolis propagatio et ontogenesis. Tempore coeundi lepores mares certant de lepore feminâ (fiunt certamina rivalium sive competitorum). Lepus femina a mense Ianuario usque ad Septembrem duodequadragesimo quôque die catulit, i.e. cupiditate coeundi flagrat. Talibus diebus mares circa feminam catulientem congregantur. Nunc fiunt lusûs coeundi aemulis cum certaminibus et pugnis furibundis, in quibus lepores mares, quorum numerus lentê deminuitur, persequuntur feminam continuo fugientem. In tali certamine primo nullus mas nisi celerrimus et vivacissimus potest cum feminâ coire, idque per paucas tantum secundas. Brevi pausâ interpositâ lusus iteratur; quo fit, ut femina compluries ineatur, plerumque etiam a maribus variis. Feminae gravidae gestare solent per dies circiter quadraginta duos. Usque ad proximum diem, quo catulit, saepe comite est singulo lepore mare, quocum etiam coire potest.

A mense Februario usque ad Octobrem lepus femina tribus aut quattuor diebus post diem fervoris venerei parit pullos spatio coeundi proximo praeterito genitos. Sed femina gestare potest pullos duorum stadiorum ontogenesis; quod phaenomenon appellatur superfetatio. Femina pullos parit in foveâ terrestri a vento tutâ. Pariuntur quini summum pulli, plerumque

bini aut trini. Lepusculi neonati, cum iam sint pelle, statim possint videre et se mouere, a biologis dicuntur esse „nidifugae“ (cfr Angl. *nidifugous*, Fr. *nidifuge*, Hisp. *nidifuga*, Theod. *Nestflüchter*). Lepusculi per tres vel quinque septimanas cottidie a matre lactantur vespere post sôlis occasum, interdum iterum. Mater lactans apud illos non remanet nisi per duas vel tres minutus, cum timeat ne odore suo fortiore allicantur bestias raptrices. Hôc in spatio temporis per brevi pulli tantum lactis materni recipiunt, quantum pondus habet decimae ferê partis corporis sui. Lac autem leporinum quattuor partibus adiposius est quam lac vaccarum. Tempore, quo lactat, lepus femina sola vivens se defendit contra mares interdum adeuntes. Post tempus lactandi femina evitat locum, quo antea pullos convénit ad lactationem. Lepusculi cum umores male patientur, annis umidis proles leporina parum propagatur. Lepores aetatem solent assequi duodecim ferê annorum.

6. Quibus notis lepus differat a cuniculo.

- Lepus saepe confunditur cum cuniculo, a quo differt non solum magnitudine, sed etiam pellis colore rubro-fusco (cum cuniculus sit pelle griseo-fusca). Praeterea lepus est auribus multo longioribus, quae summae sunt coloris nigro-albi.
- Lepus longis est pedibus posterioribus, quibus figura leporis currentis est insignis.
- Lepores sunt nidifugae (nascuntur pelliti et ad videndum capaces); cuniculi sunt nidicolae (nascuntur nudi et caeci).
- Lepores struunt „nidos“ superterrestres; cuniculi fodiunt cavernas subterraneas.
- Lepores solent vivere solitarii, cum cuniculi vivant coloniis congregati.
- Lepores, cum se movent, caudam tenent demissum, cum cuniculi caudam vibrent sursum et deorsum, ut appareat pars caudae inferior alba.

7. Lepus quantum pertineat ad hominem

7.1. Venatio leporaria, pericula lepori imminentia. Lepus venatori est praeda grata. At his annis in multis regionibus numerus leporum insigniter diminutus cum sit, venatores saepe voluntarie a leporibus abstinent. Nonnullis in locis agricultura intensiva et fruticibus remotis lepores in dies rarescunt. Tamen nuperrime nuntiatum est numerum leporum aliquantulo auctum esse. In Slesvigi-Holsatiâ ex annis numerus leporum manet stabilis (v. dissertationem Danielis Hoffmann, a.2002, in Universitate Trevirensi editam). At in Saxonia Anhaltina cum biotopus leporis vehementer sit destructus, lepus ibi appellatur esse species valde periclitans (habet numerum „Indicis Rubri“ secundum). In dumma Lepus europaeus ab IUCN i.e. *International Union for Conservation of Nature*) dicitur esse non periclitari.



Lepus quietus et tutus, nullum periculum timens.

Ultima venatio leporaria – quae fit medio mense Ianuario, ante tempus copulationis – in Germania appellatur „Hasensilvester“, i.e. ultimus dies anni leporarii. Qui eventus a venatoribus solet celebrari.

7.2 Mores mythique ad leporem spectantes

Lepus cum in Germaniâ latê pateat, etiam in multis fabellis („De lepore et erinaceo“) et apologis („Magister Lampe“) et in locutionibus (e.g. homo timidus dicitur „Angsthase“, i.e. lepus timidus, vel „Hasenfuß“, i.e. pes leporinus) commemoratur.

In proverbiis memorantur leporis timor, celeritas, versatilitas, aures longae, quae phylogenesi exortae sunt ad numerosas bestias rapaces necnon homines effugiendos. In imaginibus alchemisticis lepus (sive potius cuniculus?) fossor cavernarum indicat viam ad

Lapidem philosophorum inveniendum. In narrationibus Africanis lepus saepe dicitur esse callidissimus. In Germaniâ boreali prius opifex legibus collegii parum conveniens dicebatur *Bönhase*.

Cum lepus sit insigni cupiditate proli propagandae, praeter ovum factus est symbolum festi Paschalis, cuius mores dicuntur partim originem repetere a cultibus fertilitatis paganicas (quocum parum congruit talium symbolorum aetas parva; alias theorias infra invenies sub titulo Leporis paschalis). Cum lepus infamis esset lubidine immodica, a.751 a Papâ Zachariâ vetitum est carnem leporinam comedere, ne Christifideles immodicè prurirent.

Lepus paschalis

In Germaniâ more tradito pueris puellisque narratur lepus die Paschali ova impingere et in hortum abdere. Itaque ova paschalia (a parentibus abdita) mâne diei Dominici paschalis solent quaeritari.

Fictio Leporis Paschalis in Germaniâ cum alterâ parte dimidiâ saeculi vicesimi cultu populari, praesertim commendatione commerciali, vehementer divulgaretur, homines obliti sunt priores ovi paschalis allatores: Quibusdam in Helvetiae partibus ova paschalia afferebantur a cuculo, in Vestfaliae partibus vulpes paschalis, in Thuringiâ ciconia, in Bohemiâ gallus narrabatur hōc munere fungi. ^[1]

Fictio Leporis Paschalis unde exorta sit. Lepus paschalis primum omnium a.1682 (alio teste: 1678) commemoratur a Professore medico **Georgio Franck de Frankenau** in commentatione Latinâ scriptâ, c.t.: „**De ovis paschalibus**“. Idem professor morem leporum paschalem describit in regione Alsatiae regionumque propinquarum cultum necnon verbis effert, quantum noceat esus talium ovorum immodicus.

In variis terris Europae, si tardissimè, medio ex aevo notum est festum Paschae christianum referre ad ovum, fortasse haec relatio iam prius exorta est. ^[2] Praeterea iam ex aetate Ambrosii lepus explanatur esse symbolum resurrectionis ^[3]. At adhuc incertum est, quatenus lepus referat ad morem ovorum paschalem. Proponi solent hypotheses, quae sequuntur:



Lepus paschalis femina.


1. Nonnulla ova paschalia praevetusta impicta sunt imagine trium leporum – qui lepores in summâ tres tantum habent aures, sed cum singulae aures a binis leporibus adhibeantur, tamen omnis lepus habet aures binas; hoc est hodie notum symbolum trinitatis, sed vis huius imaginis originalis est ignota. Fortasse ex hac imagine exorta est fictio leporis ova afferentis.
2. Loco quodam biblico (Ps.104,18 EU), in versionibus vetustioribus scribitur de „lepusculis“ ^[4]. Haec interpretatio (parum recta) exorta est e versione Latinâ libri Proverbiorum (30,26), in qua Hieronymus (?) verbum Hebraicum "šafan" (procavia, Theodiscê Klippschliefer) Latinê reddit nomine lepusculi. ^[5] Ex seriore aetate antiquâ hic locus habebatur pro symbolo hominis infirmi (lepusculo similis), qui aufugit ad saxum (i.e. Christum): **VULGATA, Liber Proverbiorum 30, 26****Lepusculus plebs invalida quae conlocat in petra cubile suum.** Hac interpretatione exortum est symbolum iconographiae christianaë leporinum (v. Pinchas Lapide, Ist die Bibel richtig übersetzt?, p.214-216: Was hat der Hase mit Ostern zu tun?, Gütersloh 2004.)

3. A doctis adhuc disputatur, num verbum Theodiscum „Ostern“ affine sit nomini cuiusdam deae vernalis anglosaxonicae (Eostre) vel Theodiscae (Ostara), cuius symbola putantur fuisse lepus et ovum. Etiam Aphrodite dea amoris et fertilitatis signum habet leporinum.
4. Festum Paschale originaliter positum erat e calendario lunari, dies enim Paschalis determinatur prima luna plena post veris initium., dies Dominicus sequens est dies Dominicus Paschalis. Symbolum lunae autem est lepus, quod appetet etiam e fabella, quae narratur de lepore et erinaceo. Nam revera in luna plena (vi imaginandi adiuvante) agnosci potest lepus, in Germaniae regionibus idem lepus videtur oblique iacere capite deposito. Antea iam dictum est, quid referant ova aut dea fertilitatis.
5. Symbolum festi Paschalis christianum est agnus. Nescimus an lepus paschalis exortus sit ex agno paschali permale delineato aut furno tam inepte copto, ut deformaretur. Hac hypothesi lepus quidem explicatur, sed non, cur idem afferat ova.
6. Ex anno fere 1700 (millesimo septingentesimo) cives protestantes morem excoluerunt ova paschalia quaerendi. Demologi saepe opinantur lepores paschales animo fingi non potuisse nisi in urbibus (quia parvuli rurales peritiores bestiarum fuerint, quam ut crederent lepores posse ova parere). Sed verisimile est etiam parvulos saeculo duodecimmo in urbibus degentes sat bene novisse lepores et gallinas. Quod lepus paschalis est inventio evangelico-Lutherana, ex eo explicatur, quod in regionibus catholicis propter ieunia accumulata sit magna copia ovorum. Protestantes, cum noluerint liberos suos assuescere ad morem ieunandi, ad hoc phaenomenon explicandum dicuntur invenisse leporem paschalem.

Lepus paschalis internationalis

Germanis, qui e patria emigraverant, lepus paschalis etiam extra Europam innotuit. Praecipue in Civitatibus Americae Unitis lepus paschalis in quandam claritudinem pervenit. In sermone Anglico cum eadem bestia phantastica potius appelletur "*Easter Bunny*" quam nomen verbatim redditum ("*Easter Hare*"), lepus paschalis saepe habetur pro cuniculo (Angl. *rabbit*).

In Australiâ ex annis septuagenariis saeculi vicesimi praeter "*Easter Bunny*" celebratur "*Easter Bilby*". „Bilby“ (nomine zoologico: *Macrotis lagotis*) enim est animal marsupiale, quod cuniculis in Australia luxuriantibus vehementer periclitatur. Australiani lagotibus socolateis vendendis colligunt pecuniam, qua curent, ne haec species animalium interroriatur. ^[6]



Macrotis lagotis.

Museum

Monaco in urbe Bavariae capite in Centro Museroum extraordinariorum fuit Museum Leporum Paschalium.

Testimonia

1. ↑ http://books.google.com/books?id=t_YY7lpApzoC&printsec=frontcover&dq=intitle:handwoerterbuch+deutschen+aberglaubens%23&hl=de&sig=2N6XeprIBr81X-muwY9TWuYPX74#PPA1329,M1 Symbola „Osterhase“ in HWDA Bd 6 Sp. 1329 - google books
2. ↑ cfr symbolam „Ei“ in LCI (Lexikon der christlichen Ikonographie, Freiburg i.B. 1970, [ISBN 3-451-21806-2](#), t. 1)
3. ↑ cfr symbola „Hase“ in LCI a.a.O t. 2, col. 221)
4. ↑ in versionibus bibliae recentioribus recte affertur nomen „Klippdachs“ .
5. ↑ Versio leporina etiam derivatur e Graecis versionibus vetustioribus, in quibus iam „lepus“ positus est loco verbi hebraici „schaphan“, quod valet procaviam (Theodisce „Klippschliefer, Klippdachs“). Verisimile est Hieronymum tam bene novisse linguam Hebraicam, ut problema intellegerer; at plurimum valuisse videtur – similiter ac in versione Lutheri posteriore - , quod procaviae non inveniuntur in regionibus, quae sitae sunt in septentrione Maris Mediterranei, sed interpres voluerunt uti nominibus, quae lectoribus erant nota.

PARS II: LEPUS ARTE FIGURATIVĀ QUALIS EXHIBEATUR

Lepus aut **cuniculus** saepe imaginibus illustrantur, quae in mythis et in arte figurativâ gentium variarum valent varia. Lepus saepe, cum referatur ad deos lunae, habetur pro symbolo renascentiae et resurrectionis. Idem animal est etiam symbolum fecunditatis et voluptatis sensualis et adhibetur ad venationes mensesque illustrandas.

Argumenta

- 1 Religio Iudaica.
- 2 Antiquitas
- 3 Ars Christiana
- 4 Iconographia profana
 - 4.1 Lepus Düreri
 - 4.2 Exempla
- 5 Oriens Propior et Extremus
- 6 Singula testimonia
- 7 Litterae
- 8 Iunctiones interretiales

Religio Iudaica.

Apud Iudeos lepus habetur pro bestiâ impurâ, nam est „*animal ruminans, sed non habet unguis diffisos*“. (3Mo 11,6: 5Mo14,7). Hac opinione effectum est, ut in mediaevali arte Christianâ lepori attribueretur vis ambigua.

Antiquitas.

Antiquis hominibus, qui solêrent lepôrem venari, idem animal videbatur esse genuinê fugax et praedaticia, cuius genus non posset servari nisi proliis propagatione fecundissimâ. Aristoteles et Claudius Aelianus et Plinius dicunt lepôrem esse unum ex animalibus fecundissimis. Itaque lepus factus est symbolum vis vitalis et libîdinis et fecunditatis. Imaginibus lepus exhibetur comes Veneris, donum inter se amantium, seriore aetate antiquâ lepus est symbolum felicitatis et res sepulchrîs addita.



Lepus ephebo donatur ab eius amatore.

Ars Christiana.

Iam in prioribus artificiis Christianis apparent imagines leporum operibus ectypis, lampadiis figlinis, epitaphiis impositae, sed haud facile est explicatu, quid ibi valeant.

In libro Physiologi, qui artificibus mediaevalibus fuit fons inexhaustibilis, refertur de lepore, qui, si periculum immineat, vitam servet in saxum altum currens, sed de monte currens propter pedes anteriores nimis breves celeriter capiatur. Itaque Sanctus Basilius docet homini salutem esse petendam in Christo tamquam in saxo, ne de monte currens res terrestres persecutus incidat in manus daemonis, i.e. diaboli. Auctores Christiani perseverant in lepore quadamtenus contemnendo, qui secundum libros Moysis sit animal impurum. Sed symbolum leporis est ambiguum: qui valet aut libidinem atque voluptatem immoderatam aut viam salutis arduam. Ergo in imaginibus leporis mediaevalibus considerandis e cohaerentiâ est concludendum, utrum agatur de homine perniciem sui incurrente an viam salutis ingrediente.



Fenestra trium lepōrum, quae inest ecclesiae cathedrali Paderbornensi.



Tiziano: Maria Mater Christi cum cuniculo, Parisiis, in Museo Luperâ.

Fenestrae leporariae Paderbornâ in urbe et in Muottaliano monasterio Helveticô sitae continent tres lepôres, qui communiter tribus tantum auribus sunt. His auribus fit triangulum, quod videtur esse symbolum Trinitatis, quo prius significatus erat cursus et transactio temporis.^[1] Item pro symbolo Trinitatis videntur habendi esse tres lepôres, qui inveniuntur in xylographiâ Dürerianâ a.1497 confectâ, cui titulus est „Familia sacra cum tribus leporibus“. Unus ex his leporibus pedem impônit alterius umero et indicat tertium prosilientem.

Antiquitus lepus considerabatur esse symbolum vis vitalis et renascentiae et resurrectionis. Haec est radix imaginum, quae spectant ad Christianum festum Paschale, quibus artifices meminérunt Christi resurgentis. Titianus in picturâ suâ Parisiniensi Mariam Matrem cum puerô Iesu monstrat cum lepôre albo ludentem. Quae imago in Christianâ iconographiâ insolita explicari potest ratione christologiae. Unâ cum corbe, cui insunt panis et vinum, symbola Christi pro hominibus mortui, illa imago Titiani in memoriam revocat Christum post mortem resurrexisse.

In alâ altaris Iohannis Baldungi Grien, quod situm est in ecclesiâ cathedrali Friburgensi, apparent albi cuniculi symbola fecunditatis. Qui inter se ludunt ante pedes Mariae et Elisabethae feminarum gravidarum. In chalcographiâ Martini Schongauer a.1470 confecta, cui titulus est „Iesus post temptationem“, ut significetur laetitia vivendi abundans, novem (ter terti) lepores picti sunt ante pedes Iesu Christi.

Artifices Christiani, si venationes illustrant, solent alludere ad malum bonos persequens. In figuris romanicis circa annum 1135 fictis, quae affixae sunt ecclesiae cathedrali in oppido Königslutter sitae, lepus, quem venator persequitur, est symbolum animae humanae, quae diabolum fugiens se servare studet. Alterâ imagine, quae vocatur „Lepôres capiunt venatorem“, ostenditur bonus de malo triumphans. Ex alterâ parte, si in imagine aquila persequitur leporem, aquila potest significare Christum, lepus mali impuritatem timoremque lucis.

Lepus est symbolum renascentiae etiam apud artificem Josephum Beuys, in cuius operibus lepus iterum iterumque apparet. Tempore actionis suae Casseliensis „Quomodo

lepori mortuo explicetur ars“ Iosephus artifex perquam mirus: „Lepus“ inquit “directe spectat ad partum... Mihi lepus videtur esse symbolum reincarnationis. Nam lepus hoc facit penitus realiter, quod homo facere non potest nisi mentis fictione. Se infodit, sibi fodit scrobem. Lepus se in terrâ incarnat, hoc solum est grave.“ [2]

In Christianâ iconographiâ lepus attribuitur Sancto Martino Turonensi et Alberto Sienensi, quia in piis fabulis lepores dicuntur utrumque virum sanctum servasse a canibus et venatoribus persequentibus, necnon lepus attribuitur Olegario Barcinonensi, patrono venatorum Hispanorum.

Iconographia profana.

In novae aetatis arte profanâ lepus apparet in eodem ambitu ac aetate antiquâ: Lepus ibi est aut praeda venatorum aut symbolum mensium vernalium aut autumnalium aut attribuitur Veneri ut symbolum coitûs venerei.

Ius venandi ab aevo medio usque ad novam aetatem tardiorem fuit privilegium classium dominantium, quod vehementer defendebatur. Imaginibus naturae mortuae venatoriis (*Stillleben; Angl. still-life; nature morte; natura morta; naturaleza muerta, bodegón*), saepe cum instrumentis venandi exquisitis ornabantur oeci castellorum barocciorum possessorisque ordo et auctoritas ostendebantur. In imagine naturae mortuae, quam prinxit Jan Weenix, monstratur quaedam collectio tropaeorum, quae sunt aves bestiaeque venatoriae minores, fructûs pretiosi, canis simiolusque blandus delicatusve circa statuam Herculis moris antiqui hortensem magnificè positam; in recessu apparet castellum opulentum. Hic demonstrantur mandatoris vel possessoris imaginis divitiae et modus vivendi luxuriosus.



Pisanello: Venatio (Visio Sancti Eustachii, circa a.1435).

In aureae aetatis arte Batavicâ picturis indebantur „subtextûs“ morales, qui ab hominibus coaequalibus aspectantibus statim intellegebantur. Pisces et carnes si in picturâ monstrabantur, alludi solebat ad lèges ciborum religiosas: Pisces enim spectabant ad

cibos ieunii, carnes accumulatae ad voluptatem carnis, praesertim cum adderetur par amantium.

Lepores et aves, cui interdum addebantur carotae aliaque symbola phallica, a aspectatores coaequali statim hoc sensu intellegebantur.



Jan Weenix: Caniculus et simiolus delicatus. Venatoria imago naturae mortuae (a.1714).



Jan Weenix (1640-1719): Avis et lepus. Venatoria imago naturae mortuae.

In Italicâ arte renascentiae et aetatis baroccae non solet illustrari lepus, sed cuniculus. In quadam allegoriâ **Luxuria** a **Pisanello** pictâ femina nuda lēcto incumbit, ad eius pedēs sedet cuniculus. **Pinturicchio** in sedis Vaticanae cubiculis Borgianis pinxit **Susannam** balneantem. In hac picturâ utrumque senem, qui Susannam libidinosē observet, comitatur par leporum vel cuniculorum.

In picturis mensium lepus solet apparere in mensibus vernalibus. In picturâ mensis Aprilis a **Francisco de Cossa** confectâ et in Ferrariensi Palatio Schifoia collocatâ planetae Veneris liberi circumdati sunt a grege alborum cuniculorum, quae sunt symbola amoris et fecunditatis.

In **Petri de Cosimo** picturâ Veneris et Martis praeter Amorem etiam cuniculus albus Veneri se applicat.



Venus et Mars. Pinxit Petrus (Piero) di Cosimo.

Lepus Düreri.

Lepus campestris, pictura aquaria **Alberti (Albrecht) Düreri**, quae hodie collocatur in Collectione Albertinâ Vindobonensi, nescimus an sit imago bestiae una ex Europaeae artis historia illustrissimis.

Lepus Dürerianus spectat ad huius pictoris studia naturae subtilia; alia pictura huius generis est illustris imago prati aut ala avis ingeniosê picta, quas pingens usus est ratione pingendi aquariâ vel lacunariâ (*gouache*, a verbo Italico „guazzo”, i.e. lacuna, foveola aquaria). Haec opera exorta sunt studio Düreri naturam quavis formâ apparentem quam subtilissimê („realisticê“) reddendi.

Lepus Dürerianus nullâ videtur esse vi symbolicâ, sed habet historiam receptionis singularem.



Lepus Dürerianus Norimbergae collocatus a Jürgen Goertz confectus.



„Iuvenis lepus campestris“. Aquaria pictura illustrissima ab Albrecht Dürer confecta.

LAGOGRAPHIA PARADOXA

Aspectes, quaeso, xylographiam infra positam: quae est confecta a **Georgio Pencz** pictore, delineatore, chalcographo, qui natus est ca. a.1500, mortuus a.1550. Quâ illustratur spiritus illius aetatis: Ecce lepores, qui venatorem eiusque canes captatos assant. Xylographus videtur optare, ut personae inter se permittentur dominantium et servientium. Simul hac imagine vituperatur crudelitas principum nobilium, quorum milites gregarii rusticos captos torquebant. Venator ex arbore suspensus tollitur. Lepus quidam protocollo inscribit, quale fiat tormentum. Ante eum mensae impositum est perspicillum iurisconsulti.



Georg Pencz, Lepores venatorem captum assant, xylographia (sec. H. Zschelletzschky historicum artis figurativa haec imago est copia exemplo imaginis Pencz facta)

DE VENATORE SAEVO FABULA

Scripsit Henricus Hoffmann, in Latinum convertit Eduardus Bornemann

Alterum exemplum lagographiae paradoxae - contra ac illud crudele - est iocosum et puerile. Procul dubio idem iam novisti, care Avenariole: inest enim libro puerili illustrissimo, qui inscribitur **PETRULUS HIRRUTUS** (vulgo «*Der Struwwelpeter*»). Paganis autem sequentibus invenies versiculos *Hoffmannii* originales ab *Eduardo Bornemann* in Latinum conversos. Tolle lege. Etsi iam noveris, laetaberis lectione iteratâ: Nam repetitio dicitur esse mater studiorum.



**Venator saevus en recenti
 Indutus veste praevirenti
 Sclopetum tollit, peram captat
 Et perspicilla naso aptat.
 Per campos cito spatiatur
 Et necem lepori minatur.**


**Is autem foliis latebat
 Et nil videntem illudebat.**



**Paulatim solis ardor crescit,
sclopetum nimis ingravescit.
Invitat ecce venatorem
umbrosum gramen ad soporem.
Quo viso lepus clam obrepit,
stertentis iam sclopetum cepit,
arreptis una perspicillis
discedit passibus tranquillis.**



**Ipsius leporis en illa
aptata naso perspicilla.
In venatorem dirigit
sclopetum, is dum aufugit
et clamitat: »Auxilio!
Auxilio mi misero !«**



**Advenit ad puteolum
venator nunc altissimum.
Timore captus insilit,
cum lepus globum conicit.**

**Fenestram iuxta considebat
illius uxor et sorbebat
caffaeum. Testa en contusa
»Vae«, clamat, »vae mihi!« confusa.
Sedebat casae proximus
clam leporis filiolus
in gramine. Huic fervidum
caffaeum spargit nasulum.
Clamavit: »Quis me sic adussit?«
manuque ligulam concussit.**

HEINRICH HOFFMANN (1809-1894): „*Die Geschichte vom Wilden Jäger*“ (De venatore saevo fabula). Qui vir fuit Germanus psychiater, poeta lyricus, auctor fabellarum puerilium, praesertim illius PETRULI HIRRUTI („*Struwwelpeter*“) illustrissimi, qui editus est Francofurti Moenani 1845. Eidem libro inest fabula, quae inscribitur De venatore saevo fabula. –

EDUARD BORNEMANN (1894-1976) Germanus palaeo-philologus et professor disciplinae didacticae linguae Graecae Latinaeque. Qui docuit Francofurto ad Moenum in urbe, in Universitate Iohannis Wolfgangi de Goethe. In Latinum convertit Vilelmi Busch opusculum Maximiliani et Mauricii necnon Henrici Hoffmannii Petrulum Hirrutum.

Ecce titulus versionis Bornemannianaæ completus:

PETRULUS HIRRUTUS «Der Struwwelpeter» sive fabulae lepidae et picturae iocosae, quas invenit et depinxit Henricus Hoffmann doctor medicinae, picturas secundum Hoffmanni exemplar delineavit et lignis incidit Fridericus Kredel, versiculos in sermonem Latinum transtulit Eduardus Bornemann. Francofurti Moenani a.p.Chr.n. 1956, in Aedibus Rütten & Loening bibliopolarum, qui iam originarium Hoffmanni librum edendum curaverunt.



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS.

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Friedrich Christian Delius

* 13. Februar 1943 in Rom

† 30. Mai 2022 in Berlin

Friedrich Christian Delius war ein deutscher Schriftsteller.



F R E D E R I C V S C H R I S T I A N V S D E L I V S
 S C R I P T O R S T R E N V V S T E V T O N I C V S
 A N T E Q V A T E R V I G I N T I A N N O S
 I D I B V S F E B R V A R I I S N A T V S

* * *

F R E D E R I C V S C H R I S T I A N V S D E L I V S
 S C R I P T O R S T R E N V V S
 A T Q V E S O D A L I S G R E G I S X L V I I
 Q V A T E R V I G I N T I A N N I S A N T E N A T V S

M M X X I I I

Der tüchtige deutsche Schriftsteller
FRIEDRICH CHRISTIAN DELIUS
 wurde am 13. Februar vor 80 Jahren geboren.

* * *


FRIEDRICH CHRISTIAN DELIUS,
 ein tüchtiger Schriftsteller und Mitglied der „Gruppe 47“,
 wurde vor 80 Jahren geboren.

Homepage: [Friedrich Christian Delius | Friedr Christian Delius \(fcdelius.de\)](http://Friedrich Christian Delius | Friedr Christian Delius (fcdelius.de))

David Hilbert

* 23. Januar 1862 in Königsberg
 † 14. Februar 1943 in Göttingen

David Hilbert war ein deutscher Mathematiker und Hochschullehrer.
 Er gilt als einer der bedeutendsten Mathematiker der Neuzeit.



D A V I D H I L B E R T
V I R S T R E N V V S
O C T O G I N T A A N N I S A N T E
D I E S A N C T I V A L E N T I N I
V I T A C E S S I T
A E T A T I S L X X X I

M M X X I I I


Viele von Hilberts Arbeiten auf den verschiedenen Teilgebieten der Mathematik und mathematischen Physik begründeten eigenständige Forschungsgebiete. Mit seinen Vorschlägen begründete er die bis heute bedeutsame formalistische Auffassung von den Grundlagen der Mathematik und veranlasste eine kritische Analyse der Begriffsdefinitionen der Mathematik und des mathematischen Beweises. Diese Analysen führten zum Gödelschen Unvollständigkeitssatz, der unter anderem zeigt, dass das Hilbertprogramm, die von ihm angestrebte vollständige Axiomatisierung der Mathematik, nicht gänzlich erfüllt werden kann. Hilberts programmatische Rede auf dem internationalen Mathematikerkongress in Paris im Jahre 1900, in der er eine Liste von 23 mathematischen Problemen vorstellte, beeinflusste die mathematische Forschung des 20. Jahrhunderts nachhaltig.

Quelle: Wikipedia

Georg Popp

* 31. Juli 1861 in Frankfurt am Main
 † 15. Februar 1943 in Urberach

Georg Popp war ein deutscher Chemiker und Hochschullehrer in Frankfurt. Er gehörte zu den Begründern der mikroskopischen und naturwissenschaftlichen Kriminalistik und damit der „modernen Rechtsmedizin“ an der Johann Wolfgang Goethe-Universität Frankfurt am Main.



G E O R G I V S P O P P
 C R I M I N A L I S T A P R A E C L A R V S T H E O D I S C V S
 A N T E O C T O G I N T A A N N O S O B I I T

M M X X I I I

Der hervorragende deutsche Kriminalist GEORG POPP starb vor 80 Jahren.

Georg Witzel (Wicelius)

* 1501 in Vacha
 † 16. Februar 1573 in Mainz



GEORGIVS WVICELIVS THEOLOGVS
 AC NOTVS ADVERSARIVS MARTINI LVTHERI
 QVINQVIRES NONAGINTA ANNIS ANTE VITA CESSIT

M M X X I I I

GEORG WITZEL,
 ein Theologe und bekannter Gegner Martin Luthers,
 starb vor 450 Jahren.

Georg Witzel war ein Theologe der Reformationszeit. In den 1520er Jahren war er Anhänger Luthers, wandte sich aber später wieder der alten Kirche zu. Als katholischer Pfarrer stand er dann im ständigen Kampf mit den lutherischen Theologen.

Witzels Anliegen war die sittliche Besserung des Menschen durch „gute Werke“. Darin folgte er Erasmus von Rotterdam.

Jean-Baptiste Poquelin
 alias
Molière

* 15. Januar 1622 in Paris
 † 17. Februar 1673 in Paris



IOANNES BAPTISTA POQUELIN

A L I A S

M O L I È R E

P R A E C L A R V S

P O E T A S C A E N I C V S

F R A N C O G A L L I C V S

T R E C E N T I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E

L V T E T I A E E X V I T A E G R E S S V S

M M X X I I I

Der hervorragende französische Dramatiker
 Jean Baptiste Poquelin, genannt MOLIÈRE,
starb vor 350 Jahren in Paris.

Nikolaus Kopernikus

eigentlich Niklas Koppernick
 latinisiert Nicolaus Cop[p]ernicus
 polonisiert Mikołaj Kopernik

* 19. Februar 1473 in Thorn
 † 24. Mai 1543 in Frauenburg

Nikolaus Kopernikus war ein Domherr des Fürstbistums Ermland in Preußen sowie Astronom und Arzt, der sich auch der Mathematik und Kartographie widmete.

N I C O L A V S C O P E R N I C V S
C L E R I C V S
A S T R O N O M V S S A G A X
A V C T O R I N G E N I O S V S T H E O R I A E H E L I O C E N T R I C A E
Q V I N G E N T I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E N A T V S

M M X X I I I

Der Kleriker und scharfsinnige Astronom

NIKOLAUS KOPERNIKUS

wurde vor 550 Jahren geboren.

Er gilt als genialer Gründer des Heliozentrischen Weltbildes.

Kopernikus war nicht der erste Wissenschaftler an der Wende zur Neuzeit, der ein heliozentrisches System in Betracht zog. Vor ihm wurde dieser Gedanke von Nikolaus von Kues, dem allerdings die Mittel für eine mathematische Ausarbeitung fehlten, und von Regiomontanus diskutiert, dessen früher Tod seinem Werk ein vorzeitiges Ende setzte. Kopernikus baute auf den Werken dieser beiden Wissenschaftler auf.

Speziell Kopernikus' heliozentrisches Kosmos-Modell wurde nach Bekanntwerden mehrheitlich übergangen oder ignoriert, sowohl bei Katholiken als auch bei Protestanten. Einzig bei einigen Neuplatonikern fand er Zustimmung. Entgegen einer landläufigen Ansicht wurde die Propagierung des heliozentrischen Weltbildes zu seinen Lebzeiten keineswegs als Ketzerei angesehen, sondern allenfalls als Hirngespinst. Immerhin schien ja das geozentrische System, verankert bei den damals wissenschaftlich unbestrittenen Referenz-Größen Ptolemäus und Aristoteles, auch wesentlich besser mit dem gesunden Menschenverstand übereinzustimmen als eine sich bewegende Erde.

Alexander Schmorell

* 3. September ^{jul.} / 16. September ^{greg.} 1917 in Orenburg, Russland
 † 13. Juli 1943 in München-Stadelheim

Alexander Schmorell war Mitbegründer der Widerstandsgruppe „Weiße Rose“. In der russisch-orthodoxen Kirche wird er seit Februar 2012 als Neumärtyrer verherrlicht und daher auch Alexander von München genannt.



ALEXANDER SCHMORELL
 SO CIVS NOBILIS ROSAE ALBAE

ANTE QVATER VIGINTI ANNOS

E VI TA EGRESSVS

AETATIS SVAE XXX

MMXXII

Vor 80 Jahren starb ALEXANDER SCHMORELL,
 ein berühmtes Mitglied der „Weißen Rose“,
 im Alter von 25 Jahren.

Im November 1981 sprach die russische Auslandskirche *die Neumärtyrer Russlands während der NS-Periode* heilig. Eine Verherrlichung Alexander Schmorells wurde zwar nicht durchgeführt, aber er wird zusammen mit den Neumärtyrern Russlands als Märtyrer verehrt. Im Jahr 2007 beschloss die russisch-orthodoxe Kirche im Ausland die Heiligsprechung von Alexander Schmorell; der Festakt zur Heiligsprechung fand am 4. Februar 2012 in der Münchner Kathedralkirche statt. Der Gedenktag des hl. Alexander von München in der Liturgie ist der 13. Juli.

Quelle: Wikipedia

Hans Scholl Sophie Scholl Christoph Probst

* 22. September 1918
† 22. Februar 1943

* 9. Mai 1921
† 22. Februar 1943

* 6. November 1919
† 22. Februar 1943



IOANNES SCHOLL

SOPHIA SCHOLL

CHRISTOPHORVS PROBST

SODALES ILLI PRAECELLENTES ROSAE ALBÆ

ANTE BIS QVADRAGINTA ANNOS

OBTURVNCAVI

MMXXIII


HANS SCHOLL, SOPHIE SCHOLL und CHRISTOPH PROBST,
jene hervorragenden Mitglieder der „Weißen Rose“,
wurden vor 80 Jahren mit dem Fallbeil hingerichtet.

Weisse Rose Institut e. V.

Kurt Huber

* 24. Oktober 1893 in Chur
 † 13. Juli 1943 in München

Kurt Huber war ein deutscher Musikwissenschaftler, insbesondere Volksmusikforscher, Philosoph, Psychologe und intellektueller Widerstandskämpfer der Widerstandsgruppe „Weiße Rose“ gegen das nationalsozialistische Regime.



CV R T I V S H V B E R
 M V S I C O L O G V S P H I L O S O P H V S
 A C P S Y C H O L O G I A E P R O F E S S O R
 S O C I V S R O S A E A L B A E
 A N T E O C T O G I N T A A N N O S
 O B T R V N C A T V S
 A E T A T I S X L I X

M M X X I I I

Vor 80 Jahren wurde der Musikwissenschaftler, Philosoph und Psychologieprofessor
 KURT HUBER, ein Mitglied der „Weißen Rose“,
im Alter von 49 Jahren mit dem Fallbeil hingerichtet.

Willi Graf

* 2. Januar 1918 in Kuchenheim, seit 1969 Stadtteil von Euskirchen
 † 12. Oktober 1943 in München-Stadelheim

Willi Graf war ein deutscher Angehöriger der katholischen Jugendbewegung und Mitglied der Widerstandsgruppe „Weiße Rose“.



G V L I E L M V S G R A F
S O D A L I S C O N S T A N S R O S A E A L B A E
A N T E O C T O G I N T A A N N O S
O B T R V N C A T V S

M M X X I I I

WILLI GRAF, ein standhaftes Mitglied der „Weißen Rose“,
 wurde vor 80 Jahren mit dem Fallbeil hingerichtet.

Die katholische Kirche hat Willi Graf im Jahr 1999 als Glaubenszeugen in das *deutsche Martyrologium* des 20. Jahrhunderts aufgenommen. Am 27. Dezember 2017 wurde bekannt, dass das Erzbistum München und Freising die Möglichkeit eines Seligsprechungsverfahrens für Willi Graf in Betracht zieht.

Im Jahre 2010 wurde ein vielbeachteter Film mit dem Titel *Willi Graf – Zivilcourage und Widerstand* der Öffentlichkeit vorgestellt, der das Leben von Willi Graf nachzeichnet. Aus Anlass seines 100. Geburtstages im Jahr 2018 widmete die Landeshauptstadt Saarbrücken ihrem Ehrenbürger ein Gedenkjahr.

Thomas d'Urfey

* 1653 in Exeter, Devon
 † 26. Februar 1723 in London

Thomas d'Urfey war ein englischer Autor, Dichter,
 Dramatiker, Liederschreiber und Satiriker.



THOMAS D'URFEY
 SCRIPTOR AC POETA BRITANNICVS
 ANTE TRECENTOS ANNOS
 VITA CESSIT
 R. I. P.


MMXXI

Der englische Schriftsteller und Dichter
 THOMAS D'URFEY starb vor 300 Jahren.
Möge er in Frieden ruhen.

Felice Casorati

* 4. Dezember 1883 in Novara
 † 1. März 1963 in Turin

Felice Casorati war ein italienischer Maler.



F E L I X C A S O R A T I
 P I C T O R I L L V S T R I S
 A N T E S E X A G I N T A A N N O S
 K A L E N D I S M A R T I I S O B I I T
 A E T A T I S S V A E L X X I X
 M M X X I I I

Am 1. März vor 60 Jahren starb der berühmte Maler
 FELICE CASORATI im Alter von 79 Jahren.

Nach den am *Wiener Secessionismus* orientierten, symbolistischen Anfängen, mit denen Casorati bereits in jungen Jahren auf sich aufmerksam machen kann, durchläuft der Künstler etwa von 1918 bis 1920 eine Übergangsphase, in der er sich von der dekorativ-ornamentalen Auffassung des Jugendstils ab- und einer den „eigenen“, italienischen Traditionen, namentlich den Meistern der florentinischen Frührenaissance (insbes. Piero della Francesca) verpflichteten, klassischen Auffassung zuwendet. Figuren und Bildraum werden nun zunehmend im Sinne der Vorgaben der *Valori plastici* plastisch durchformt. Die Jahre 1920 bis 1925 werden in der Literatur gemeinhin mit dem Attribut *neoklassizistisch* überschrieben und setzen sich übergangslos in die Hauptschaffensperiode der späten 1920er, 1930er und 1940er Jahre fort. Letztere ist durch eine gegenüber der ersten Hälfte der 1920er Jahre noch gesteigerte meditative Ruhe der Bildsjets, durch große Klarheit und Schlichtheit der Komposition, gedämpfte Farbigkeit und weiche Konturen charakterisiert. Die zweite Hälfte der 1940er Jahre schließlich markiert den allmählichen Übergang in das Alterswerk mit einer nun erneut flächigen, dekorativen Auffassung, die als ein Rückgriff auf Ansätze des Frühwerks gesehen werden kann.

Quelle: Wikipedia

Gertrud Kolmar

Pseudonym für Gertrud Käthe Chodziesner

* 10. Dezember 1894 in Berlin

† vermutlich Anfang März 1943 in Auschwitz



G E R T R V D K O L M A R
 S C R I P T R I X E T P O E T R I A I N C L Y T A
 O C T O G I N T A A N N I S A N T E N E C A T A

M M X X I I I

Die berühmte Schriftstellerin und Dichterin
 GERTRUD KOLMAR wurde vor 80 Jahren ermordet.

Gertrud Kolmar, von deren Werk zu Lebzeiten relativ wenig erschien, gilt heute als eine der bedeutendsten deutschsprachigen Lyrikerinnen des 20. Jahrhunderts. Nach eher konventionellen Anfängen fand sie in ihren Gedichten vor allem ab Ende der Zwanzigerjahre zu einem eigenen, unverkennbaren Ton, geprägt von großer sprachlicher Virtuosität und Expressivität, unter gleichzeitiger Beibehaltung traditioneller Formen. In ihrem Werk herrschen Natur- und Frauenthemen vor, oft ins Mystische und Hymnische gesteigert.

Quelle: Wikipedia

Milo Dor

* 7. März 1923 als Milutin Doroslovac in Budapest
 † 5. Dezember 2005 in Wien



ANTE VIGINTI LV STRA NATVS
 MILO DOR
 SCRIPTOR PRAECELLENS
 AC PRAESIGNIS INTERPRES

MMXXIII

Der ausgezeichnete Schriftsteller und vorzügliche Übersetzer
 MILO DOR wurde vor 100 Jahren geboren.

Milo Dor war ein österreichischer Schriftsteller serbischer Herkunft, zudem Übersetzer, Mittler zwischen verschiedenen Literaturen und Anwalt österreichischer Autoren. Er verfasste zahlreiche sozialkritische Romane, ohne das Unterhaltsame zu verschmähen. Am bekanntesten wurde er mit seiner Trilogie *Raikow-Saga*. Vorurteile hielt der vielsprachige Dor für das „Krebsgeschwür der Seele“. „Ich weiß nicht, ob Bücher zum Abbau der nationalen Schranken und somit zur Verständigung zwischen verschiedenen Völkern dienen können, mir stehen aber keine anderen Waffen zur Verfügung als Worte, die vielleicht eines Tages als Flaschenpost irgendwelche junge Leserinnen und Leser erreichen und sie zum Nachdenken ermuntern werden.“

Quelle: Wikipedia

Mathilde Jacob

* 8. März 1873 in Berlin
 † 14. April 1943 im KZ Theresienstadt

Mathilde Jacob war Übersetzerin und Stenotypistin. Als Sekretärin und enge Vertraute von Rosa Luxemburg schmuggelte sie deren Briefe und Manuskripte aus dem Gefängnis und rettete Teile deren Nachlasses.



T R I G I N T A L V S T R I S A N T E N A T A

M A T H I L D A I A C O B

R O S A E S E C R E T A R I A E T F O R T I S S O C I A

O C T O G I N T A A N N I S A N T E

V R B E T H E R E S I A E O B I I T

M M X X I I I


Vor 150 Jahren wurde MATHILDE JACOB geboren.
 Rosa (Luxemburgs) Sekretärin und mutige Vertraute
starb vor 80 Jahren in Theresienstadt.

Walter Jens

* 8. März 1923 in Hamburg
† 9. Juni 2013 in Tübingen

Walter Jens war ein deutscher Altphilologe, Literaturhistoriker, Schriftsteller, Kritiker und Übersetzer. Er war Ordinarius für Rhetorik an der Eberhard-Karls-Universität Tübingen (1963 - 1988), Präsident des PEN-Zentrums Deutschland (1976 - 1982 und 1988 - 1989) und Präsident der Akademie der Künste zu Berlin (1989 - 1997).

Unter dem Pseudonym *Momos* verfasste Jens von 1963 bis 1985 fast wöchentlich Fernsehkritiken für die Wochenzeitung *Die Zeit*.



G V A L T H E R V S I E N S
S C R I P T O R R H E T O R I N T E R P R E S P H I L O L O G V S
P R O F E S S O R V N I V E R I T A T I S T V B I N G E N S I S I L L V S T R I S
B I S Q V I N Q V A G I N T A A N N I S A N T E
D I E O C T A V O M A R T I I N A T V S

M O M O S A N T E B I S Q V I N Q V E A N N O S E V I T A E G R E S S V S

M M X X I I

WALTER JENS, der berühmte Schriftsteller, Rhetoriker, Übersetzer, Philologe und Professor der Universität Tübingen, wurde am 8. März vor 100 Jahren geboren.


* * *

MOMOS starb vor 10 Jahren.

Robert James „Bobby“ Fischer

* 9. März 1943 in Chicago, Illinois

† 17. Januar 2008 in Reykjavík, Island



ROBERTVS PISCATOR
 VVLGO BOBBY FISCHER
 SCACCORVM LVSOR PRAECIPVVS
 OC TOGINTA ANNIS ANTE NATVS
 TER LVSTRIS ANTE
 REYKIAVICAE VITA EGRESSVS
 MMXXII

Der außerordentliche Schachspieler ROBERT „BOBBY“ FISCHER wurde vor 80 Jahren geboren. Vor 15 Jahren starb er, in Reykjavík.

Bobby Fischer war ein US-amerikanischer Schachspieler. Er war von 1972 bis 1975 der 11. Schachweltmeister. Als 16-Jähriger nahm er am Kandidatenturnier teil, dessen Sieger den Weltmeister herausfordern durfte. Den Titel gewann er 1972 in einem als *Match des Jahrhunderts* bezeichneten Wettkampf gegen Boris Spasski.

Danach zog sich Fischer vom Turnierschach zurück. Als er 1975 gegen den sowjetischen Herausforderer Anatoli Karpow nicht antrat, entzog der Weltschachbund (FIDE) Fischer den Weltmeistertitel. Es folgte nur noch ein einziger öffentlicher Schachauftritt 1992 in einem privat organisierten Wettkampf gegen Spasski.

Angesichts seiner unbestrittenen Leistungen gilt Fischer als eine herausragende Gestalt der Schachgeschichte.

Quelle: Wikipedia

Traute Lafrenz
verheiratete Lafrenz-Page

* 3. Mai 1919 in Hamburg
† 6. März 2023 bei Meggett, Charleston County, South Carolina



TRAUTE LAFRENZ
 SOCIA GREGIS ROSAE ALBAE
 RESISTENS CONTRA NAZISTAS
 AC SVPERSTES
 PRIDIENONAS MARTIAS OBII
 AETATIS CIII

MMXXII

Traute Lafrenz, Mitglied der „Weißen Rose“,
 Widerstandskämpferin gegen die Nazis und Überlebende,
 starb am 6. März im Alter von 103 Jahren.

Traute Lafrenz war eine in den USA lebende deutschamerikanische Ärztin. Sie war im Widerstand gegen den Nationalsozialismus an den Aktivitäten der Hamburger und der Münchener „Weißen Rose“ beteiligt. Ihr kam als Verbindungsglied der getrennt agierenden Gruppen eine zentrale Rolle zu.

Otto Modersohn

* 22. Februar 1865 in Soest, Westfalen

† 10. März 1943 in Rotenburg, Wümme

Otto Modersohn war ein Mitbegründer der Künstlerkolonie Worpswede und wurde einer der bekanntesten deutschen Landschaftsmaler. Er war in zweiter Ehe verheiratet mit der später berühmt gewordenen Malerin Paula Modersohn-Becker.



OTTO M O D E R S O H N
P I C T O R I L L V S T R I S T E V T O N I C V S
A N T E Q V A T E R V I G I N T I A N N O S
V I T A C E S S I T
A E T A T I S S V A E L X X V I I I

M M X X I I I

Vor 80 Jahren starb der berühmte deutsche Maler
Otto Modersohn im Alter von 78 Jahren.

Am 23. Oktober 1900 schrieb Rilke an Otto Modersohn: „Erinnern Sie sich jenes Nachmittags, da Sie mir das Vertrauen bewiesen haben, auf das ich leise stolz bin: Sie zeigten mir die kleinen Abendblätter, und ich fühlte, wie aus jedem Entwurf, aus schwarz und rot, mir mehr Wirklichkeit entgegenwuchs, jenes Sein, das nur die tiefste Kunst in tiefen Stunden hinzustellen vermag, erfüllte sich in diesen Skizzen, vor denen ich das Gefühl hatte, daß in jeder, von der Flucht der Striche verhüllt, alles sei, was man in dieser Stimmung erleben und werden kann. Es ergriff mich so, diese übervollen kleinen Blätter in Händen zu halten, mich in ihr Geheimnis hineinzuschauen wie in das Schaffen selbst: ich war wie einer, der in lauter dämmrnde Zimmer tritt und erkennt, daß da vor seinen sich langsam gewöhnenden Augen Alles steht, was er je schön erdacht und schön erinnert hat [...] – Fast jeder Tag in Worpswede brachte ein Erlebnis für mich – ich sagte es Ihnen oft: aber so fromm und ehrfürchtig wie vor Ihren kleinen Blättern war ich nur noch zwei- oder dreimal im Leben; denn es geschieht nicht oft, daß sehr Großes sich in ein Ding zusammendrängt, das man ganz in der Hand halten kann, in der eigenen ohnmächtigen Hand.“

Johann Christian Günther

* 8. April 1695 in Striegau/Schlesien

† 15. März 1723 in Jena



TRECENTIS ANNIS ANTE
IDI BVS MARTII S
IOANNES CHRISTIANVS GVENTHER
POETA LAVREATVS CAESAREVS TEVTONICVS
IENAE EX VITA EGRESSVS
R. I. P.

M M X X I I I

In Jena starb am 15. März vor 300 Jahren
der mit der „Dichterkrone“ gekrönte deutsche Dichter
JOHANN CHRISTIAN GÜNTHER.
Möge er in Frieden ruhen.

Johann Christian Günther gilt als bedeutendster deutscher Lyriker des frühen 18. Jahrhunderts. Formal dem Zeitalter des Barocks zuzuordnen, ist er wegen der starken inneren Bewegtheit und ausgesprochener individueller Prägung seiner Literatur als Vorläufer der Aufklärung zu bezeichnen. Dies folgt unter anderem aus der Tatsache, dass Günther mit Schriften von Christian Thomasius, Gottfried Wilhelm Leibniz und des Christian Wolff in Berührung gekommen sein muss. Dadurch wurde zwar nicht sein Traditionsbewusstsein verändert, doch prägten jene Philosophen seine Auffassung zu Autorität, Lehre und Religion.

Quelle: Wikipedia

Ernst Tugendhat

* 8. März 1930 in Brünn

† 13. März 2023 in Freiburg im Breisgau

Ernst Tugendhat war ein deutscher Philosoph und Professor an der Freien Universität Berlin. In seinen ersten Arbeiten zeigte er sich vor allem durch Martin Heidegger und Edmund Husserl beeinflusst. Später wurde Tugendhat zu einem der wichtigsten Vertreter der analytischen Philosophie in Deutschland.

ERNESTVS T V G E N D H A T
 III IDVS M A R T I A S O B I I T
 R . I . P .

*

*

*

ERNESTVS T V G E N D H A T
 ILLVSTRIS PHILOSOPHVS THEODISCVS
 STIRPIS IVDAICAE
 FRIBVRGI BRISGOVIACE OBIT
 AETATIS SVAE XCIII

*

*

*

ERNESTVS T V G E N D H A T
 VIR PRAESTANS OBDORMIVIT

MMXXII

ERNST TUGENDHAT ist am 13. März gestorben. Möge er in Frieden ruhen.

*

*

*

Der berühmte deutsche Philosoph mit jüdischen Wurzeln ERNST TUGENDHAT ist im Alter von 93 Jahren in Freiburg im Breisgau gestorben.

*

*

*

Mit ERNST TUGENDHAT ist ein vortrefflicher Mann gestorben.

Isabelle Huppert

* 16. März 1953 in Paris



ISABELLA HVPPERT ANTE SEPTVAGINTA ANNOS
 XVII KAL. APRILES LVETIAE NATA
 IN CLYTISSIMA ACTRIX FRANCICA
 QVAE IN PELLICVLIS ATQVE THEATRIS AGIT


MMXXIII

ISABELLE HUPPERT wurde in Paris geboren.
 Die sehr berühmte Film- und Theaterschauspielerin
feiert am 16. März ihren 70. Geburtstag.

Philip Zimbardo

* 23. März 1933 in New York City

Philip Zimbardo ist ein US-amerikanischer emeritierter Professor für Psychologie an der Stanford University (USA). Der 1959 an der Yale University (USA) promovierte Psychologe hat mit seiner 1971 als *Stanford-Prison-Experiment* bekannt gewordenen Studie, die Machtmissbrauch und Gewaltverhalten von Menschen in bestimmten Positionen untersucht, eines der klassischen Experimente der Psychologie geleitet.



ANTE TER TRIGINTA ANNOS

X KAL. APRILES NOVI EBORA CI NATVS

PHILIPPVS ZIMBARDO

PSYC H OLOGVS NOTVS

VIVAT FLOREATQ VE

VI R NONAGENARIVS

MMXXII

Der bekannte Psychologe PHILIP ZIMBARDO
wurde am 23. März vor 90 Jahren in New York geboren.
Herzlichen Glückwunsch zum 90. Geburtstag.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ ΑΕΙ.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR -	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90

12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAЕ 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAЕ PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAЕ LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90

26	0040 6A	978-3- 938905- 25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29		978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

VOTA PASCHALIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR

IN FESTUM PASCHALE ANNI MMXXIII

OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT



LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM TERTIAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Paschatis, 09. m.Apr. a.MMXXIII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**